



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XIX. De Divortiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

Anchar. *ibid.* n. 2. Card. n. 30. Oliv. *for. eccles.* p. 3. q. 37. n. 3. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n.* 3. de cetero nomine causarum matrimonialium veniunt controversiæ & quæstiones de matrimonii & Sponsalium natura, qualitatibus, contractu, indeque ortis juribus & obligationibus, deque eorum valore, impedimentis horumque dispensationibus, deque matrimonii dissolutione, redintegratione, divortii, non tamen veniunt quæstiones de dote, donatione propter nuptias, successione hæreditaria, alimentis & similibus, tales enim quæstiones, utpote de re temporali & politica, pertinere ad forum & Judices sæculares de communi docere Bellarm. l. 2. de *matrim.* c. 32. Tanner. *Tom. 4. d. 8. n.* 166. testatur Wiestn. n. 5. & tenet Pith. *h. t. n.* 17. nisi tamen, ut addit Wiestn. n. 6. tales quæstiones in quæstionem matrimonialem propriè talem (quales sunt jam enumeratæ) in judicium principaliter deductam incidant; tunc enim, sicut de illis principaliter motis, sic etiam his incidenter cognoscere & pronuntiare pertinebit ad Judicem ecclesiasticum; sic quoque Judex sæcularis competens est in quæstionibus facti respicientis matrimonium, ut si agatur de punitione adulterii, incestus aliorumque criminum, quæ sunt contra sanctitatem matrimonii; tum quia hujusmodi delicta sunt mixti fori, quæ proinde Judex, qui præverit, sive sit ecclesiasticus, sive sæcularis, punire potest; tum quia sunt quæstiones facti, non juris, nec ad ea puniendâ necesse est cognoscere de valore matrimonii aut sensu canonum, ita Pith. *cit.* n. 17. citans Sanch. *de mat.* l. 3. d. 54. n. 3. & 6. Item Judex sæcularis competens est, dum quæritur, an matrimonium sit contractum, an contractum in facie Ecclesiæ, an clam, ut ita constet, an filius sit legitimus, nisi incidat in quæstionem juris. V. G. quid sit matrimonium clandestinum, Pith. n. 18. cum Tanner. l. c. q. 8. du. 9. n. 164.

2. Resp. secundò in specie: de jure communi in causis propriè matrimonialibus Judex competens est solus Episcopus, juxta c. *accidentibus*, de *excess.*

prelat. & expressam decisionem Trident. *sess.* 24. de *reform. mat.* c. 20. ubi: *ubi cause matrimoniales non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, sed Episcopi tantum examini & jurisdictioni relinquimus &c.* Nihilominus in iis quoque (jure ordinario, adeoque citra commissionem & delegationem, aut etiam privilegium) Judex competens est Prælati alius Episcopo non subiectus, jurisdictionem quasi episcopalem in certo territorio & in ejus populum exercens. Rota apud Mantua. *decis.* 102. n. 7. Riccius *in decis.* Curia Neapol. *decis.* 184. Barbos. *de offic. & potest. Episc.* alleg. 84. n. 3. Wiestn. *h. t. n.* 7. Reiffenst. n. 21. Unde, dum Trident. aliis Episcopo inferioribus negat hanc jurisdictionem, intelligit illos inferiores, qui certæ diocesis Episcopo saltem in causis aliquibus subiecti sunt. Item Judex competens est capitulum sede vacante, utpote in quod transit ordinaria jurisdictionis Episcopi, juxta c. *his que*, & c. *cum olim*, de *majorit. & obed.* Item non tantum Vicarius Episcopi generalis in spiritualibus, & quidem sine mandato speciali, juxta c. *fin. de cognat. Spirit.* & c. 1. de *frigid. & malef.* sed & Vicarius capituli sede vacante, ut Barb. l. c. n. 3. Covar. *de Sponsal.* p. 2. c. 8. §. 12. n. 1. Quarant. *in sum. Bullar.* v. *sede vac.* de quo vide me in *Vicar. Episc.* q. 582. De cetero ex commissione & privilegio, quin & ex consuetudine præscripta legitime (non sufficere tamen quadragenariam, sed requiri immemorabilem, juxta quod declaratum à S. Cong. Card. Interp. Trid. testantur Fagn. & Barb. *asserit* Wiestn. *h. t. n.* 10.) causarum matrimonialium cognitio & definitio officiali minus principali competere potest, & competit, præsertim in diocesis amplioribus, uti & Archidiaconis, Decanis & Vicariis foraneis, quos commissarios vocant, aliisque Præstis ecclesiasticis, ut patet ex communi praxi Ecclesiæ, & juxta hanc docent gl. *fin. in c. accidentibus. de excess. prelat.* Butr. *ibid.* n. 2. Abb. n. 3. Fagn. n. 3. apud Wiestn. n. 9.

TITULUS XIX.

De divortii.

Quest. 273. Divortium quid & quotu-plex.

1. **R**esp. ad primum: Divortium est viri ab uxore, & hujus à viro separatio legitima, nimirum non facta sine lege vel ratione vel etiam autoritate Judicis Sylv. v. *divortium*.

2. Resp. ad secundum: Est tam apud Theologos quam apud Jurisconsultos duplex; nimirum prout importat dissolutionem matrimonii tantum quò ad thorum & habitationem, & prout importat dissolutionem quò ad ipsum vinculum. Porro separa-

tio, quæ non est perpetua, sive ex causa per se duratura semper, minus propriè divortium appellatur, qualis est illa, quæ in jure frivolum dicitur, quòd juxta Ulpianum in l. *cum*. §. *divortium*. ff. de *donat. inter vir.* & uxor. est levis seu frivola offensa inter conjuges, quam ob levis quandoque momenti causam, erinde nascentem iram subitam sequitur temporalis quædam secessio seu separatio, dum postliminio quiescente ira & animo sedato, cessat. Verum de hac separatione hic nihil, de cæteris duabus speciebus divortii in præsentè, capitibus duobus sequentibus.

CAPUT I.

De divortio conjugum quò ad vinculum ipsum matrimonii.

Quest. 274. Matrimonium ratum quòd dicatur.

1. **R**esp. ad primum: Matrimonium ratum dicitur, quòd post Baptismum susce-

prum mutuo contrahentium consensu perficitur, nulla carnali copulâ subsecutâ, unde et si infidelium seu non baptizatorum matrimonium sit legitimum, non est tamen ratum, e, quanto b. i. Porro matrimonium

monium manet ratum, & non efficitur consummatum, quamdiu vir non feminaverit intra vas feminum, etsi illud penetraverit; quamdiu enim non præcessit copula apta ad generandum, non fiunt una caro. Et definit esse tale, si intra illud feminavit, etsi non penetravit; quia talis copula sufficit ad generandum. Sanch. *L. 2. de matr. d. 21. n. 2.* Gutt. *de matr. c. 54. n. 21.* Castrop. *de sponsal. d. 3. p. 2. §. 1. n. 1.* Adhæc qui tenent semen femininum necessarium esse ad generandum, consequenter requirunt ad consummationem, fertilisationem femininam, qui negant illud esse necessarium, ut Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* negant & alterum. De cætero per copulam vi vel metu extortam extra vel post bimestre datum ad deliberandum de ingressu religionis consummari matrimonium, conveniunt ferè omnes, ut Sanch. *d. 22. n. 1.* Gutt. *l. c. n. 16.* Per copulem talem extortam intra dictum bimestre consummari quoque matrimonium, etsi negent aliqui, sentiunt tamen cum communi Sanch. Gutt. *ll. cit.* Castrop. *n. 2.* ed quod sit accessio ad suam, & per eam efficiantur una caro, & si ex parte unius liberè habentis copulam consummatum censetur matrimonium, necesse est etiam ex parte alterius coacti illud consummari; quia est unicum vinculum. Nihilominus non impeditur per hoc partem coactam ingredi religionem, ed quod æquum non sit, ut ea licentia à jure concessa per injuriam sibi ab altero illatam privetur. Nequaquam tamen eum, qui copulam extorsit, posse ingredi religionem, parte, quæ vim passæ, renuente, tenent Sanch. *l. c. n. 5. 6. & 8.* Castrop. *n. 3.*

Quæst. 275. An & qualiter matrimonium sit indissolubile.

1. Resp. primò: Matrimonium etiam non consummatum, tam fidelium quam infidelium, quod ad vinculum de se est indissolubile. Castrop. *l. c. 5. & 6. infine.* cum communi, prout hanc indissolubilitatem statim ab initio creationis asseruit Adamus *Genes. 2.* dicente Trid. *Sess. 24. de matriu. Matrimonii perpetuum indissolubilem nexum primus humani generis parens divinis spiritibus instituit pronuncians, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Item Christus apud Matth. Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et Apost. ad Rom. 7. Mulier vivente viro alligata est legi.*

2. Resp. secundo: Hæc indissolubilitas intrinseca omni matrimonio non est purè à jure divino positivo; ab initio enim, dum institutum ab auctore naturæ matrimonium indissolubile, non exstabat præceptum ullum divinum positivum aliud, quàm de abstinentia ab arbore vetitæ: Pith. *l. c. n. 138.* sed est ex jure divino naturali. Matrimonium siquidem ex natura sua ordinatur, tum ad conjugum amorem mutuam fovendum, tum ad generandam non solum, sed & ad bene educandam prolem, quod commodè fieri nequit, si matrimonium esset solubile; foret enim proles incerta & malè educaretur. Hinc Deus omnium Dominus Authorque naturæ quæ talis ad hos fines in conjugio intentos à principio aliter non instituit illud, concessitque mutuum corporum traditionem & usum quam indissolubilitate, prout dicitur *c. unic. de voto in 6. ubi: Matrimonii vinculum ab ipso Ecclesia capite rerum omnium conditore illud in paradiso, & in statu innocentia instituit indissolubilitatem accepit &c.* Ac ita sentit Pith. *l. c.* Castrop. *n. 6.* citans Bellarm. *L. 1. de*

matr. c. 12. Azor. *L. 6. q. 3.* Rebell. *de oblig. just. L. 2. q. 15. §. 1.* Vasq. *d. 1. de matr. c. 2.* Covar. *2. part. decret. c. 7. §. 3. n. 5.* & plurimos alios. Huic tamen concessionem & institutionem naturæ matrimonii congruenter factæ non obstat, quod quandoque Deus ob gravem aliquam causam permiserit vinculum matrimonii solvi; in Lege quidem Evangelica, non tantum matrimonii rati in favorem status religiosi, sed & consummati inter infideles in favorem fidei. In lege scripta permittendo Judæis libellum repudii, ut docent plures apud Sanch. *L. 10. d. 1. n. 7.* sententibus tamen aliis contrarium cum Magist. sentent. S. Bonav. Richar. permissum nimirum, hoc est, non punitum repudium uxoris tanquam minus malum ad vitandum majus, nempe uxoricidium. De quo plura infra. Matrimonii verò rati in lege Evangelica permittendo illud solvi; cum hæc, ut inquit Castrop. sint solubilitates extrinseca, naturam matrimonii non mutant; sicut non mutat perpetuitatem status religiosi, quod is aliquando solvi possit. Unde

3. Resp. tertio: Non est ista indissolubilitas ita essentialis matrimonio, ut ea repugnet propriè juri naturæ, sitque intrinsecè mala. Ita Pith. *cit. n. 138.* & Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 1.* remittens ad D. Thom. *in 4. d. 33. q. 2. a. 1.* Bellarm. *de matr. l. 1. c. 4.* Sanch. *l. 2. d. 13.* nulla siquidem, ut inquit Laym. ratio est, cur non etiam matrimonii contractus ad modum aliorum contractuum, spectato præcès jure naturali, mutuo consensu dissolvi possit. Juxta illud: *Obligaciones, que mutuo consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur. s. fin. Inst. quib. mod. toll. obligat.* nisi quod talis dissolutio primario fini matrimonii, qui est generatio & educatio proles, repugnare videatur. Illa autem ratione non ostenditur matrimonii solutionem esse per se & intrinsecè malam, sed solum ratione adjuncti, quod sæpissimè abest, ut si proles jam perfectè educata sit, vel ob uxoris sterilitatem, senium &c. nulla sit spes generandæ proles, quo casu dissolutio matrimonii magis confert ad generationem proles cum alio conjugè, quàm ut repugnet. Probatur quoque idem à posteriore. Deus siquidem abolutà potentià in lege propriè naturali dispensare nequit, ut cum D. Tho. *1. 2. q. 94. a. 5. & q. 100. a. 8.* AA. communiter, Jam verò Deus olim, tam in lege scripta, quàm Evangelica dispensavit, ut dictum, tam in matrimoniis consummatis, quàm ratis, permittendo ea solvi.

4. Resp. quarto: Indissolubilitas omnimoda (intellige respectu potestatis humanæ) inter fideles non provenit ex eo, quod matrimonium sit Sacramentum; quia etiam matrimonium ratum est Sacramentum, & tamen est solubile etiam potestate humana Papæ in sententia valde probabili. De quo paulò post. Neque ex eo, quod sit Sacramentum perfectè significans unionem Verbi cum natura humana, seu cum Ecclesia per Incarnationem, quæ perpetua est, & nunquam solvenda, ut Pith. *n. 40.* Laym. *l. c. n. 2.* & 3. nam ex eo tanquam à posteriore convincitur esse indissolubile omnimodè, ut Castrop. *§. 2. n. 4.* ergo non ideo, quia dictam unionem Christi significat, est indissolubile, quasi hæc esset ratio à priori, & in qua fundaretur dicta indissolubilitas; sed quia indissolubile omnino est, ideo dictam unionem Christi significat; adeoque illam indissolubilitatem habet aliunde, nempe à præcepto divino juri naturali superaddito, quod nimirum Christus in lege Evangelica tulit. *Matth. 10. Quod DEUS conjunxit, homo non separet;* tulitque hoc ipsum præceptum Christus, seu illam illius indissolubilitatem omnimoda

dam voluit, ut aptius dictam unionem cum humanitate vel Ecclesia significaret. Unde etiam, ut bene ait Castrop. *cit. §. 2. n. 1.* non congruebat (stante nimirum illa Christi voluntate sineque ab eo intento) concedi Papæ ullive alteri homini potestatem solvendi illud, et si de cætero absolute loquendo potuisset delegari dicta potestas; cum in eo ipse Christus dispensate poterat. Neque hucusque dictis de indissolubilitate matrimonii opponas illud Christi *Matth. 19. Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur:* Unde sequi videtur, posse uxorem ob fornicationem vel adulterium ab ea commissum dimitti, ac ita solvi matrimonium & aliam duci. Nam responderi solet, Christum tantum loqui de dimissione uxoris quo ad thorum & cohabitationem. ita ut sensus sit, fornicationem esse iustam causam dimittendi uxorem, seu separandi se ab ea quod ad locum. *Pirh. n. 41. citato Sanch. L. 10 d. 2. n. 3.* ac ita congruat cum illo *Marc. 10. & Luc. 16. v. 18.* ubi absolute dicitur: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur; & qui dimissam à viro (intellige etiam ob fornicationem) duxerit, mæchatur.* De quo plura infra.

Quæst. 276. An de facto Pontifex saltem ob causam gravissimam dissolvere possit matrimonium ratum fidelium, ita ut utrique parti relinquatur liberum inire aliud matrimonium.

Resp. non convenire in hoc AA. sententia id affirmans est communior, quam tenent Abb. *in c. ex publico. de convers. conjugator. n. 14. Nav. in m. an. n. 22. n. 21. Suar. Tom. 3. de relig. l. 6. c. 17. n. 21. Pirh. n. 142. Cajet. Tom. 1. opusc. tr. 18. q. unic. Vasq. 1. 2. d. 165. c. 7. Less. l. 2. c. 40. n. 146. Gutt. de matr. c. 53. n. 3. Sauch. l. 2. d. 14. n. 2. Hurt. d. 8. de matr. diff. 3. n. 11. Laym. l. c. c. 6. n. 4. dicens, hanc esse Canonistarum in c. ex publico. Gobat. in Theol. experim. tr. 10. n. 691. dicens, contrarium sine Sedis Apostolicæ contumelia defendi non posse. Rationes hujus sententiæ sunt, quod Pontifices dispensarint quandoque in matrimonio rato; puta Paul. III. Pius IV. ter quaterve Gregor. XIII. una die undecies teste Henriq. l. 1. c. 8. n. 11. in Gl. lit. F. Innoc. X. cum homine plebeio sine causa bonum publicum spectante apud Gobat. l. c. & alii apud Dian. p. 8. tr. 1. resol. 62. illos autem in hoc errasse & in valide egisse, & juris divini ignaros fuisse, dici nequeat sine temeritate, ut inquit Valent. 3. p. d. 10. q. 1. p. 7. quin & ut Veracruz. in specul. p. 2. a. 27. de Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar factilegii est; esset enim quasi improbare Christo, quod Papa relaxare possit votum & iuramentum, dispensare in professione religiosa, ut Theologi & Canonistæ passim. Et pluribus exemplis ostendit Barb. in c. cum ad monasterium. de statu Monach. n. 13. qua professione infirmius est matrimonium ratum, cum per eam dissolvatur. Quod matrimonium non sit omnino indissolubile, nec in ratione contractus, nec ob rationem Sacramenti, aut significationem, quæ significat conjunctionem Christi cum anima per caritatem & gratiam, quæ dissolubilis est. Ac denique, quod potestas ligandi & solvendi Ecclesiæ concessa, utpote favorabilis salutis animarum, sit extendenda, quantum licet, nisi obsteret jus divinum, quale hic non est, in quo propriè*

ac directè sit dispensandum à Papa solvendo matrimonium ratum; siquidem sicut in voto & iuramento, quod relaxando non tollitur, aut remittitur jus Deo quæsitum, sed tollitur ipsum votum & iuramentum, seu vinculum obligationis illius erga Deum per potestatem concessam à Deo Ecclesiæ solvitur; ac ita indirectè aufertur lex illa divina de voto observando; ita in præsentè Papa directè dispensando in contractu illo humano matrimonii, seu tollente ejus vinculum, quod est fundamentum obligationis juris illius divini & naturalis, tollatur indirectè lex illa divina, jobens vinculum matrimonii, etiam nondum consummati, perpetuò subsistere, præterquam si Ecclesiæ dissolventis auctoritas accedat. Ita Laym. Verùm licet hanc sententiam probabilissimam, dicat Castrop. l. c. §. 2. n. 3. ipse tamen contrarium censet verius & docet ferè ab omnibus Theologis astruit, citans Sotum in 4. d. 31. q. 1. Bonavent. d. 27. a. 3. q. 2. Pont. l. 9. c. 3. n. 3. Valent. &c. ad quos ex Canonistis accedunt Turrecrem. in c. sunt qui dicant. 27. q. 2. a. 3. n. 5. Alex. in c. tuas. de sponsa duor. n. 14. Covar. Gutt. apud Krimer. in 4. decret. n. 1621. Potissima ejus ratio est, quod cum matrimonium, sive ratum, sive consummatum, jure divino & naturali sit indissolubile, nequeat, nisi Deo concedente dissolvi, prout dicitur in c. ex parte. de convers. conjug. il. 2. ubi Joannes III. Ex quo matrimonium inter legitimas personas contrahitur, in nullo casu illis viventibus dissolvi potest, nisi forte secus fuerit ex revelatione divina &c. ex nulla autem traditione aut ullo textu constet, Deum Pontifici concessisse hanc facultatem. Dici autem non possit, quod ibi Papa loquatur de matrimonio consummato, cum nullum verbum hoc indicet, sed omnino contrarium clarè indicetur, dum dicitur: ex quo matrimonium contrahatur. Quod autem ad diluendum hoc dicitur ad Adversariis de dispensatione indirecta, quæ fit per substitutionem directam vinculi, idem applicari posse videtur ad dispensandum pariter in matrimonio consummato, quod Adversarii non admittunt. Addunt & aliam rationem Castrop. & Pont. nimirum, quod si ob aliqua inconvenientia solvi à Papa possit matrimonium ratum, posset etiam ob eadem occurrentia in matrimonio consummato & illud solvi; cum matrimonium consummatum in substantia, essentia vel integritate superaddat matrimonio tantum rato, nisi quod dicat copulam & usum matrimonii, quæ non pertinet ad matrimonii substantiam & integritatem, & usus rei non faciat in veniente majus & fortius jus, quam in non utente re sua, adeoque matrimonium non reddat magis indissolubile. Sed nec ideo magis indissolubile, quia significat unionem Verbi cum natura humana vel Christi cum Ecclesia; cum, ut dictum, non habeat indissolubilitatem ab hac significatione. Quanquam, ut Pont. l. 1. c. 11. d. n. 10. satis dubium, an non etiam matrimonia rata fidelium ad hanc unionem significandam assumpta; cum etiam in pluribus sententia matrimonium consummatum infidelium hanc significet; quin imo matrimonium in primæva sua institutione. Ac denique esto, matrimonium ratum assumptum non sit ad illam unionem significandam, sed solum unionem Christi cum anima per gratiam; ad summum enim inde inferre licet quasi à posteriore, solvi illud quandoque posse, scilicet per ingressum in religionem, Deique dispensatione, non tamen ex dispensatione Papa.

Ad primam autem rationem Adversariorum respondet Castrop. ex eo, quod Pontifices adhærentes priori

priori sententiæ dispensarint quandoque in matrimonio rato, non convinci, certum esse, Pontificem habere hanc potestatem, sed solum esse valde probabile, sufficereque probabilitatem oppositæ sententiæ, ut Pontifices dispensando securè, tutâque conscientiâ procedant, nullumque errorem in praxi committant, tametsi speculativè loquendo errent, quod non est inconveniens, cum error non sit de jure, sed de facto, & non communi, sed particulari, veruntamen non video, cur re ipsa non intercedat hic error juris, quæstio enim juris est, an Papa habeat à Christo potestatem solvendi matrimonia rata, circa quam utique errant, judicando se eam habere, si re ipsa non haberent. Adde quod error ille practicus esset valde nocivus, & traheret secum maxima inconvenientia, dum Pontifices carentes ea potestate invalidè dispensando existerent occasio adulteriorum materialium, quæ committerentur à talibus ineuntibus alia matrimonia, utpote invalida. Ad argumentum desumptum à relaxatione voti & juramenti respondent negando paritatem, eò quod per dissolutionem illam matrimonii directè relaxetur lex illa divina: quod Deus conjunxit, homo non separet: quæ gratis dicitur intelligenda de matrimonio consummato; cum juncta testimonio Papæ in *cit. c. ex parte*, quod matrimonium, ex quo contracta, solvi non possint sine revelatione Dei, satis probat, divina lege prohiberi dissolutionem matrimonii etiam rati tantum ab homine, nisi id habeat DEI revelatione, quæ sanè revelatio non includitur in potestate ligandi ac solvendi concessa à Christo Pontifici. E contra à Papa relaxando votum vel juramentum directè non mutetur aut relaxetur lex divina: eò quod qui remittit debitum justitiæ non relaxat aut solvit jus naturale, dictans, jure debitum esse persolvendum, quamdiu non est solum vel remissum, cum remisso debito jus naturale perstat ut ante, & solum indirectè tollitur ejus applicatio ad hoc subiectum, sita in debito nondum soluto vel remisso. Pari modo lex divina præcipiens reddi DEO, quod ei voto promissum est, remisso voti debito salva perstat, & solum hic & nunc cum, qui votum emisit, & ex eo contraxit debitum, non obligat, quia hoc ei remissum. Possit autem Papam ejusmodi debita, quæ homo contraxit promissione DEO facta remittere potestate vicaria, ex ipsa potestate, quâ Christus cum suum in terris constituit, rectè infertur. Ad argumentum desumptum à professione religiosa dicunt eorum aliqui, Castrop. sentiente contrarium, cum Barb. in *c. ex publico. n. 10.* citatisque ab eo Scoto, Soro, Victoria, Corduba &c. non solo jure Pontificio per professionem solvi matrimonium ratum, sed, quod ea dirimat matrimonium, esse ex Christi privilegio, adeoque ex jure divino positivo. Sed de hoc paulò post. Ad hæc dicunt, non rectè argui à potestate solvendi professionem religiosam, seu votum solenne ad potestatem solvendi matrimonium ratum. Rationem disparitatis dant; quod in professione fiat traditio religioni, quam acceptat Prælatu religionis, quo non acceptante, ista vota non obligant; Papa autem sit ordinarius, cui tanquam superiori religionis sit quoque illa traditio, qui proinde potest eam rejicere, vel etiam acceptatam semel remittere, quâ rejectione vel remissione posita, cessat obligatio status religiosi. Ad illud, quod dicunt, pro licito & valido semper præsumi factum superioris etiam in dubio positivo, respondent, plushinc non inferri, quam quod sententia affirmans sit probabi-

lissima, & in praxi, ut Pontifices bona fide possint dispensare, omnino tutam, non tamen quod sit omninò certa; cum præsumptio juris de jure re ipsa possit esse falsa. Ad illud denique, quod ex Matth. de Moya *tract. 1. de opin. prob. c. 9. n. 25.* & Sylv. *v. votum. 4. n. 5.* & aliis afferitur, nimirum quod quando circa rem, quæ est juris divini duæ dantur sententiæ probabiles, una negans, altera concedens Papæ potestatem valide dispensandi, Papa post adhibitam maturam utriusque sententiæ considerationem, præviumque Theologorum examen diligens & accuratum, auditis etiam Cardinalium votis se ad unam partem determinaret, hæc Pontificis determinatio canonizata maneret, & ad eum certitudinis gradum ascenderet sententia, quam amplexus, ut contraria nullam amplius haberet probabilitatem; haberetque tunc dispensatio à Papa facta vim statuti; adeoque sicut post maturum consilium Pontifex statueret, ac verè definirer, licere sibi, seu posse se in hoc dispensare, necessariò standum esset hujusmodi statuto, sic etiam tali ejus factio. Ad hoc, inquam, respondent Castrop. & Pont. negando id ipsum, nimirum illud factum Pontificium, toties etiam repetitum, adducere sententiam illam ad tantam certitudinem, quantum ipsi adversarii ei tribuunt, multoque minus æquivalere statuto, seu definitioni Papali quâ tali, seu qualem faceret Papa loquens ex Cathedra. De quo vide Pont. *L. 9. c. 3. nu. 4.* ubi ostendit ab Alex. III. in *append. Concil. Lateran. p. 6. c. 8.* reprobatur quorundam prædecessorum judicium de potentia dissolvendi matrimonium ratum. Nihilominus relatis his utriusque sententiæ fundamentis, spectata praxi, standum esse pro summorum Pontificum potestate, reverentia exigit.

Quest. 277. Num posito, Papam posse dissolvere matrimonium ratum, possit id ipsum quoque licitè & validè, ubi non adest causa rationabilis & iusta.

REsp. Non tantum ad hoc, ut licitè dispense, sed etiam ad valorem talis dispensationis seu dissolutionis matrimonii requiritur causa justa. Sanch. *L. 2. d. 15. n. 6.* Pirh. *ad tit. de despons. & matr. n. 145.* dicens sic docere communiter Theologos & Canonistas apud Tanner. *d. 8. du. 4. nu. 68.* eò quod in jure naturali ac divino, ex quo oritur indissolubilitas matrimonii, etiam rati tantum, nec licitè nec validè, uti nec in voto simplici, nisi adest causa justa, dispensare potest; cum in his non sit dominus, sed dispensator. Porro cause justæ dissolvendi matrimonium ratum sunt gravis timor scandalorum magnorum futurorum, lepra superveniens uni conjugum, & similes, quas vide apud Sanch. *L. 2. d. 16.*

Quest. 278. An dissolvatur matrimonium ratum fidelium per suspensionem ordinum sacrorum.

REsp. negativè. Sanch. *L. 2. d. 18.* Castrop. *de sponsal. d. 3. p. 2. §. 4. nu. 1.* cum communi omnium juxta expressam decisionem *extrav. antiquæ.* Joan. XXII. de voto.

Quest. 279. An & qualiter dissolvatur matrimonium ratum per vota simplicia & professionem religiosam.

REsp.

1. Resp. ad primum: Per emissionem votorum, quibus nec solennis professio constat, nec verum religiosum constituunt, matrimonium ratum non dissolvitur. Sanch. *l. c. n. 9.* Castrop. *l. c.* Gutt. *de marr. c. 54. n. 6.* uti id constat ex *cit. Extrav.* Hinc vota emissa à quibusdam terriæ regulæ S. Francisci & S. Dominici, quæ solennia non sunt, nec religiosum propriè constituunt, matrimonium ratum non dissolvunt. Castrop. *l. c.* Sanch. *n. 4.* Gutt. *n. 2.* Ponc. *l. 9. c. 8.* Secus est de votis simplicibus emitti solitis in Societate post biennium novitiatus, quæ verum religiosum constituunt, pro ut definit Gregor. XIII. in sua Bulla, quæ incipit: *Quantiò fructuosius.* edita anno 1582, hæc enim non tantum matrimonium contrahendum tanquam impedimentum dirimens impediunt, prout idem Gregor. in Bulla. *Ascendente Domino*; sed & matrimonium contractum ratum tantum dirimunt; cum sint professio religiosa, etsi non solennis, constituantque verum religiosum, quantum est ex parte illius, perpetuò adstrictum ordini. Ac ita supponit Castrop. cum aliis, dum ait, emissionem votorum, quibus nec solennis professio constat, nec verum religiosum constituit, non solvitur matrimonium ratum; hinc etiam à contrario infertur: ergo emissionem votorum, quibus constituitur vel solennis professio, vel saltem verum religiosum, dirimunt matrimonium. Quòd autem quadam jura non nisi professionis solennis meminerint quò ad efficaciam illam solvendi matrimonium, inde est, quòd illo tempore, nulla professio seu nulla vota constituiebant verum religiosum nisi solennia. Quòdque etiam alii Pontifices non meminerint nisi professionis regularis non expresso verbo *solennis*, inde est, non quòd votis simplicibus tribuant eam efficaciam, sed quòd eo tempore nulla vota nisi solennia constituiebant professionem.

2. Resp. ad secundum: Matrimonium ratum dissolvi per professionem religiosam solennem, tenent Catholici omnes, prout decisum est in *cit. Extrav.* & *ine. ex parte tua. de convers. conjug.* ac novissimè per Trid. *Sess. 24. can. 6.* ubi: *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solennem professionem alterius conjugis non dirimi, anathematis.* Unde jam, ut tenent Sanch. *l. c. n. 8.* Pont. *l. 9. c. 7. n. 3.* Azor. *Tom. 1. l. 13. c. 6. q. 4.* Nav. *L. 3. cons. de convers. conjugat. cons. 1.* Cum equites S. Joannis seu Melitenses sint veri religiosi, per factam ab iis professionem solvitur matrimonium ratum eorum. AA. iidem.

3. Resp. ad secundum secundò: Professio solennis hanc efficaciam solvendi matrimonium ratum non habet ex se, sive seclusa Christi & Ecclesiæ institutione: ita AA. paulò post citandi contra D. Thomam in *4. d. 27. q. 1. a. 3. questiu. 2. in corp.* Rich. eod. *dist. a. 2. q. 2.* Covarr. in *4. decret. p. 2. c. 7. §. 4. n. 7.* Bellarm. *l. 2. de monach. c. 38.* & alios apud Sanch. *L. 2. d. 19. n. 1.* hac ductos ratione, quòd dicta professio constituat statum perfectiorem & repugnantem cum matrimonio, sitque mors spiritualis. Quæ ratio si valeret, haberet quoque professio religiosa vim dirimendi matrimonium consummatum, inessetque statui clericorum majorum ordinum, & vel maximè Episcopali, utpote statui perfectiori. Ad hæc (quæ est ratio à priori responsionis) professio religiosa consistere potest cum matrimonio non solum rato, sed & consummato, ut patet, dum ex consensu conjugis vel facto divortio, alter conjugum profiteretur, minimè per hoc soluto matrimonio: ergo professio ex se, seu natura rei illud non dirimit.

4. Resp. ad secundum tertio: Neque videtur habere vim hanc ex jure divino positivo à Christo immediatè statui religioso eam concedente, ut docet Sanch. *de marr. l. 2. d. 19. n. 3.* Gutt. *d. marr. c. 54. n. 8.* Pont. *L. 9. c. 5.* hac nixi ratione, quòd dissolutio matrimonii rati esse non possit nisi à Christo, vel immediatè, vel mediante ejus autoritate immediatè à Papa. Jam verò nullibi seu ex nullo jure positivo ecclesiastico constat, Christum hanc autoritatem dissolvendi matrimonium per professionem religiosam potius, quàm per statum clericalem aut calibratum concessisse Papæ: ergo. Ad quam tamen rationem respondent AA. citandi pro *seq. resp.* cur potius concessa Papæ potestas dissolvendi matrimonium per professionem, quàm per statum ordinis sacri, aliumve perfectiorem, id quidem ex jure scripto colligi non posse, colligi tamen satis posse ex facto ipso junctà traditione Ecclesiæ, hanc virtutem restrictam ad solam professionem religiosam. Ita Castrop. *cit. p. 2. §. 4. n. 4.* Verum tamen nec hæc responsio omninò sufficit, aut probat intentum; cum etsi bene ex ista traditione, adjunctis tamen etiam variis juribus colligatur & probetur, inesse hanc efficaciam professioni religiose præ aliis statibus, non tamen exinde colligi potest, inesse illam ei immediatè à Christo. Unde

5. Resp. ad secundum quartò: Probabilius docere videntur Castrop. *l. c. n. 5.* Laym. *L. 5. sum. tr. 10 p. 3. c. 6. à n. 3.* citatique ab iis *Sess. de just. L. 2. c. 41. du. 8. nu. 69.* Coninck. *d. 26. du. 3. concl. 4. n. 37.* Hurt. *d. 8. diff. 4. n. 17.* Suar. *Tom. 3. de relig. L. 9. c. 6. per tot. maxime à nu. 20.* Medin. *de sacror. hom. continent. L. 5. c. 86. & seq.* Host. *in c. ex publico. de convers. conjug. v. consummatum.* Jo-And. *ibid. n. 9.* &c. vim illam dissolvendi matrimonium ratum professioni religiose provenire immediatè ex Jure Pontificio, seu autoritate Papæ ei communicata à Christo, colligique id ipsum ex traditione Ecclesiæ, eaque ratione, quòd decuerit Christum relinquere Vicario suo potestatem instituendi statum aliquem perfectionis, indita ei virtute dissolvendi matrimonium ratum. Quod ipsum etiam hac ratione probat Laym. Si matrimonium ratum solveretur jure naturali aut divino per vota solennia, etiam jure naturali aut divino solveretur per vota simplicia; cum votorum solennium & simplicium discrimen solo Jure Pontificio sit introductum, sed vota simplicia non dirimunt matrimonium, ut constat ex *c. unic. de voto in 6.* Confirmat idem Castrop. hac ratione: Professio religiosa, quòd dirimat seu impediatur matrimonium contrahendum habet merè ex Jure Pontificio (unde aliquando in Societate professio religiosa votorum simplicium non fuit impedimentum dirimens, sed tale effectum à tempore Gregor. XIII. per Bullam: *Ascendente Domino*) ergo etiam quòd dirimat matrimonium contractum, habet à Jure Pontificio. Ad quæ tamen non incongruè responderi potest; imprimis ex eo, quòd Christus concesserit Papæ potestatem instituendi statum, per quem solveretur matrimonium, non bene argui, quòd etiam concesserit illi potestatem indendi eidem vim illam solvendi matrimonium; sicut ex eo, quòd Christus reliquerit Ecclesiæ potestatem designandi & determinandi aliquorum Sacramentorum materiam, non bene infertur, concessisse etiam eidem potestatem indendi illi materię vim practicè significandi gratiam; sed sicut ipse Christus per se elevavit ad hoc designatam materiam illam, sic etiam institutum statum illum per se elevavit

vavit ad efficaciam illam solvendi matrimonium; dein ab efficacia illa dirimendi matrimonium contrahendum ad efficaciam dirimendi matrimonium contractum non rectè inferitur, non tantum ex eo, quòd posterius, nimirum dissolvere matrimonium contractum sit quid majus, quàm impedire ne contrahatur; sed vel ex eo, quòd professio religiosa non secus ac clandestinitas, quòd sit impedimentum dirimens, non habeat ab intrinseco sive ab efficacia sibi indita, sive immediatè à Christo, sive ab Ecclesia seu Papa, sed veluti ab extrinseco, nimirum ab Ecclesia inhabilitante tales personas, nempe professos ad contrahendum validè matrimonium, ipsumque talem contractum irritante; professio verò vim solvendi matrimonium habet sibi intrinsicam; denique non multum ad rem facere videtur, quòd solennitas votorum sit immediatè à Jure Pontificio; cum vota solennia, non quia solennia sunt, sed quia constituunt statum religiosum solvunt matrimonium, ut patet in votis simplicibus Societatis, quæ etsi solennia non sunt, quia tamen constituunt verum religiosum, solvunt matrimonium ratum; quibus proinde, quam primùm à Papa elevata sunt, ad constituendum verum religiosum, dicta efficacia indita conferitur, ab eo, qui illam statui religioso indidit; non secus ac accidit in contractu, civili matrimoniali, cui, quam primùm elevatus est ad rationem Sacramenti, indita est vis causandi gratiam.

Quest. 280. Quantum tempus & qualiter concessum conjugibus ad deliberandum de religionis ingressu.

Resp. Post matrimonium contractum & non consummatum conceduntur conjugibus duo menses ad deliberandum de ingressu religionis, ita ut intra tempus illud non teneantur reddere debitum, ut constat ex *c. ex publico, de convers. conjug.* circa quæ plura notanda. Primò, duos illos menses concessos non ad ingressum religionis cum effectu seu ad professionem, ut Abb. in *cit. c. ex publico, num. 2.* Nav. *c. 16. num. 27.* & alii; sed ad ingressum in novitiatum seu assumptionem habitus; ita ut conjux manens in sæculo, antequam ad aliud matrimonium transire possit, expectare debeat toto novitiatu tempore, adeoque anno uno, vel etiam duobus, prout ordo unum tantummodo annum vel biennium habet, novitiatu, ita ut tempus hoc ex voluntate, conjugis actari seu abbreviari non debeat nec possit. Sanch. *l. 2. de mat. d. 24. num. 4.* Gutt. *c. 54. num. 11.* Pont. *l. 9. c. 9. num. 2.* Castrop. *cit. p. 2. §. 5. num. 2.* Laym. *l. c. sub num. 3.* Unde etiam inferitur, quòd, si conjux mox, ut attingit annos pubertatis, ingrediatur, debere alterum expectare usque ad annum 16. ætatis, ante quem is professionem emittere nequit. Sanch. Ponc. Castrop. *LL. cit.* Item quòd si conjux accipiat & admittat monasterium in commendam, in quo casu tenetur post sex menses ibidem profiteri, juxta præscriptum Trident. *sess. 25. c. 21.* debere alterum expectare per dictos sex menses.

R. P. Lew. *Jur. Can. Tomus IV.*

2. Secundò, bimestre hoc computandum à die contracti matrimonii duobus mensibus communiter occurrentibus completis, Sanch. *num. 3.* Castrop. *num. 4.* Pont. *num. 3.* cum communi; quòd autem *cit. c. ex publico.* bimestre illud computatum non fuerit à die contracti matrimonii, sed à die per Judicem designato, ideo factum, quia mulier illa prætendebat matrimonium esse nullum, adeoque à die, quo illud declaratum validum, designatum illi bimestre.

3. Tertio, posse hoc bimestra autoritate Judicis abbreviari vel prorogari, cum communi, ut Castrop. *num. 5.* affirmant Sanch. *num. 12.* Gutt. *num. 16.* Pont. *num. 8.* & seq. eò quòd bimestre hoc licet à lege præscribatur, ministerio Judices imponendum; tempus tamen à lege præscriptum & vel maximè imponendum per Judicem, ab eo ex causa urgente coactari vel prolongari potest. Pont. *num. 8.* Mol. *de primog. l. 2. c. 14. num. 19.* juxta *l. qui pro tribunali, de sent. & re judic. & ibi Bart. n. 4.*

4. Quarto; Quamvis transacto illo bimestri vel alio tempore à Juce præfinito, teneatur conjux conjugi reddere debitum (potestas enim conjugi per matrimonium acquisita in corpus conjugis restringi non debet ultra, quòd restrictio talis legitimo jure fundata est) non tamen ita actari conjugem ad reddendum debitum, consummandumque mox ab elapso tempore matrimonium, quin possit adhuc, si velit, ingredi religionem, eò quòd, quamdiu consummatum non est matrimonium, electio status religiosi concedatur, docet Castrop. *num. 6.* citatis Sanch. *l. 2. c. 24. num. 27.* Gutt. *c. 54. num. 19.* Coninck. *d. 16. du. 94. num. 49.* Hurt. *d. 8. diff. 8. num. 30.* & c. quòd tamen ita intelligendum crederem, si intra illud bimestre seu tempus præfinitum resolvisset se planè ad incundam religionem, & mox ab illo occuparetur in ea petenda; si enim ultra illud tempus pro deliberatione statutum prætextu ulterioris deliberationis differri posset pro libitu consummatio, sanè crearetur per hoc alteri conjugi magnum præjudicium; unde etiam sicut ingrediens religionem, si ibidem profiteri renuat, & aliam amplecti velit, ne conjugi relicto præjudicium creetur, potest Judex compellere præfixo termino, ut in una religione profiteatur, vel ad conjugem redeat, ut Castrop. *num. 3.* Cón. *d. 26. du. 4. num. 45.* Henriq. *l. 12. c. 5. num. 8.* Sanch. *d. 24. num. 9.* Pont. *cit. c. 9. n. 10.* & c. ita quoque Judex poterit compellere præfixo termino, ut novitiatum ingrediatur vel maneat cum conjuge, eique petenti debitum reddat, quare illud; quamdiu consummatum non est matrimonium, conceditur electio status religiosi; verum est, dum alter conjux non petit & voluit; quòd si tamen, ut expressè Laym. *l. c.* citatis gl. in *cit. c. ex publico v. intra duorum.* Sylv. *v. votum §. 9. 3. dicto 3.* Sanch. *l. c. num. 27.* vel sic injustè negato debito, transeat ad religionem, revocari non poterit.

5. Quintò, quòd si intra hoc tempus à jure vel Juce concessum maritus conjugem deliberantem de ingressu religionis per vim opprimat, matrimonium quidem reddi indissolubile quo

T

ad

ad vinculum, quippe per veram copulam consummatum, posse nihilominus uxorem invito etiam marito ingredi religionem & in ea profiteri, nisi, fortè aliunde V. G. propter educationem prolis prohibeatur, probabile esse, affirmat Laym. *l. c.* & sic doceri testatur à Sanch. *d. 22. n. 26. Cón. l. c. du. 4. concl. 7. Rodriq. in sum. Tom. 1. e. 239. concl. 2. Sylv. l. c.* & aliis apud Abb. *in c. 2. de convers. conjug. in fine*, aliis tamen apud Sanch. *num. 5.* docentibus contrarium; eò quod nemo sine culpa privari debeat jure suo quaesito, quale habet uxor, ut libera à reddendo debito intra bimestre ingredi possit religionem, nemo item ex sua iniquitate commodum referre potest, aut dolus ei patrocinari.

6. Sextò, dictum bimestre concedi omnibus conjugatis, tamen de religione incunda non cogitent, aut etiam propositum eam non ingrediendi habeant; adeoque non teneri ad reddendum intra illud debitum, tenent Sylv. *v. debitum q. 1. cans. 4. Rosel. ibid. num. 2. Pont. l. 9. c. 9. num. 7. Sanch. l. 2. d. 24. num. 25.* & apud hunc plures; eò quòd etsi illud propositum non habeant, possent tamen illud interea habere, & ut, dum desideria dilata crescunt, postmodum eum majore affectu jungantur; ob quas rationes hoc bimestre concessum esse, ajunt cum gl. *in c. conjungis 27. q. 1. v. primam.* Contrarium tamen probabilius & verius sentiunt. Laym. *l. c. Castrop. l. c. num. 7.* citatis Angel. *v. debitum. num. 14. Cón. l. c. num. 43. Hurt. l. c.* eò quòd à puncto contracti matrimonii conjuges teneantur sibi invicem reddere debitum, nisi Jure Pontificio ob bonum aliquod religionis aliquo tempore suspendatur hæc obligatio, jam verò nullis aliis conjugibus invenitur suspensa, nisi iis, qui de religionis ingressu cogitant seu deliberant; cum nullibi, nisi in *cit. c. ex publico*, illud bimestre concedatur, & ibi id solum concedatur conjugibus, si ad religionem transire voluerit.

Quæst. 281. An matrimonium ratum infidelium durante utriusque infidelitate solvi possit.

R Esp. Negativè, Castrop. *cit. p. 2. §. 3. n. 1. Pirh. ad tit. de Sponsal. num. 146.* cum communi, imprimis enim non magis solvi potest mutua conjugum voluntate, quam matrimonium ratum fidelium, ut constat ex dictis; dein neque autoritate Principum, quibus subsunt infideles, cum hi nullam ad hanc dissolutionem à Deo potestatem acceperint; neque denique autoritate Papæ; cum hæc dissolutio sit actus aliquis jurisdictionis; jurisdictio autem & potestas Papæ se non extendat extra Ecclesiam, juxta illud Pauli *1. ad Cor. 5. quid mihi de istis; qui foris sunt, judicare*, contrarium est de matrimoniis hæreticorum, vide Tanner. *l. c. du. 4. n. 72.*

Quæst. 282. An matrimonium infidelium etiam consummatum, dum uterque, ad fidem convertitur, possit solvi autoritate Pontificis, intercedente justa causa.

R Esp. affirmativam teneri à Sanch. *l. 2. d. 17. num. 2. Nav. l. 3. de const. de convers. infidel. conf. 1. aliàs 3. in solut. ad 2. du. num. 12. Pirh. l. c.* eò quòd matrimonium infidelium, etiam

consummatum, cum non sit Sacramentum, nequidem habeat eandem firmitatem, quam matrimonium ratum fidelium, quod in sententia probabili solvi potest à Papa. Sed neque obstante, quòd post susceptum Baptismum ab iis fiat Sacramentum; cum, nisi post Baptismum denuo habitâ copulâ fuerit consummatum, reputetur adhuc tanquam matrimonium ratum fidelium, non attenda illa confirmatione facta ante Baptismum, ita Pirh. Negativam tanquam probabiliorè & veriorè tenent Castrop. *l. c. num. 2. Cóninck. d. 26. du. 5. num. 66. Pont. l. 9. c. 4. num. 15. Azor. p. 2. l. 5. c. 2. §. his positus &c.* eò quòd jam sit matrimonium fidelium consummatum (etsi consummatio tantum contigerit ante Baptismum) quod in nullo casu est solubile à Papa. Et esto non sit seu efficiatur post Baptismum Sacramentum, quòd plures probabiliter negant cum D. Thom. *in 4. d. 29. q. 1. a. 1. ad 1.* ubi dicit matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, sed habitu. Sanch. *l. 2. d. 9. num. 5. Tanner. Tom. 4. d. 8. q. 2. du. 3. num. 51.* quos citat & sequitur Pirh. *de divor. num. 41.* censentes effici Sacramentum, etiam non accedente novo consensu explicito, sed sufficiente consensu virtuali & implicito, quem actu habent, dum intendunt baptizari; adeoque virtualiter, & implicitè volunt, ut matrimonium prius contractum significet unionem Christi cum Ecclesia, ita ut hic consensus eo signo Baptismi expressus sit nova materia & forma hujus Sacramenti, & quamvis aliàs ad matrimonium de novo contrahendum inter eos, qui nunquam fuerunt conjuges, non sufficiat istiusmodi consensus implicitus & interpretativus, sufficiat tamen ad matrimonium illud, quod non est omnino novum, quòd ad substantiam, sed solum quasi novum in ratione Sacramenti. Esto, inquam, non sit aut efficiatur post Baptismum Sacramentum, adeoque nec aptum ad significandam illam Christi unionem cum Ecclesia per assumptionem carnis, nullus tamen adhuc est casus, in quo à Christo concedatur potestas dissolvendi matrimonium consummatum qualescunque, ad hæc tale matrimonium à priori, ut dictum in antecedentibus, non desumit illam suam indissolubilitatem à ratione Sacramenti, aut dictæ significationis.

Quæst. 283. An & qualiter solubile aut solvatur matrimonium infidelium, uno eorum converso ad fidem.

R Esp. primò; Solvitur matrimonium infidelium etiam consummatum quòd ad vinculum conjugale, uno eorum converso ad fidem, altero renuente converti, non nisi in triplici hoc casu; primò dum infidelis discedit, respiciens omnino convictum & cohabitationem cum conjuge fidei, adeoque facit discessionem physicam; idque non ob aliam causam legitimam, quam quia conjux ad fidem conversus est, *c. quanto. c. gaudemus. h. 1. it. c. simili modo. c. si uxor. 28. q. 1.* secundò; dum quidem non facit discessionem physicam, quia vult cohabitare; facit tamen discessionem moralem, quia non vult ei cohabitare sine contumelia creatori irrogata, quòd facit, si Deum vel Christum blasphemat, ejus nomen despicit, ejus laudes prohibet, conversionem domesti-

domesticorum impedit, prout deciditur in citatis textibus & c. *infidelis* 28. q. 2. Tertio, si conjugem factam fidelem, inducit ad peccandum mortaliter, aut ejus convictus cedit in perniciem animæ fidelis; irrogatur enim & tunc indirectè injuria creatori. Tunc autem, ut Pirh. *h. t. num.* 35. ex Sanch. *l. 7. de mat. d. 74. num. 6.* censetur à fidei pertrahi ad peccandum, quando fidelis, attenta sua fragilitate, exponitur periculo lapsus in peccatum, sive levi suasionem, sive violenta & importuna suggestionem infidelis. In his tribus eventibus solvitur tale matrimonium ex Christi dispensatione promulgata ab Apost. *1. ad Cor. 7.* his verbis: *quod si infidelis discedit, discedat: neque enim servituti (id est, conjugii vinculo, ut Castrop.) subiectus est soror aut frater conversus, quia possit ad alia vota transire &c.* de utraque autem discessione, tam physica, quam morali loqui Apostolum, satis constat ex citatis textibus.

2. Resp. secundò: Extra hos tres casus, dum nimirum infidelis manens in tua infidelitate, non vult discedere à fidei converso, neque tamen etiam ejus cohabitatio cedit in contumeliam creatoris, aut est fidei occasio & incitamentum ad peccandum, non solvi matrimonium tale, ut fidelis inire possit aliud matrimonium, probabiliter tenent Castrop. *l. c. num. 9.* citatis Sylv. *v. matrimonium* 8. q. 10. dicto 6. Navar. *c. 22. num. 49.* Tolet. *l. 7. sum. c. 7. num. 7.* Valent. *de mat. d. 10. q. 1. p. 2.* & alii apud Sanch. *l. 7. d. 72. num. 8.* prout colligi putant ex illo Pauli. *l. c.* ubi consultit, ne fidelis infidelem dimittat, si infidelis velit cum eo pacificè & sine injuria creatoris habitare, quin imò dicat, mulierem infidelem sanctificari per virum fidelem, & è contra, unde etiam asserit Pirh. *h. t. num. 46.* quòd si infidelis repudiata uxore (intellige tempore infidelitatis) duxerit aliam, etiam post Baptismum, debeat hanc dimittere, & adhærere repudiatae, nisi hæc reuerit habitare cum eo; quia per tale repudium non fuit solum vinculum matrimonii, utpote gentibus non concessum, etsi concedatur, concessum Judæis; cujus contrarium, dum defendunt Sanch. *l. c.* Henriq. *l. 11. c. 8.* Rebell. *de oblig. iust. p. 2. l. 3. q. 10. s. 2.* Cõn. *d. 26. d. 5. num. 62.* &c. ex eo, quòd etsi primis Ecclesiæ temporibus posset infidelis cum fidei habitare absque contumelia creatoris vel pertractione ad peccandum, imò cum probabili spe conversionis, modo tamen, dum infidelium animi ita obstinati sunt, ut vix sit spes conversionis, eorum cum fidei habitatio cedit in contumeliam creatoris, & moraliter incitat exemplo suo conjugem & domesticos ad peccandum, fidelis possit matrimonium aliud inire; dum, inquam, ex hoc fundamento procedunt suppositionem, ut videt, nostram destruunt, adeoque nihil à nobis diversum docent; de cætero asserit Castrop. *l. c.* nempe cessante illa contumelia creatoris & periculo perversionis, etsi non solvatur vinculum matrimonii, non teneri tamen fidelem infideli cohabitare, quin & consuetudine Ecclesiæ receptum; imò præceptum, ne conjux ad fidem conversus permittatur simul habitare cum infideli, *c. Judas. 28. q. 1.* idque etiam spes subesse conversionis, ait Pirh. *h. t. num. 42.* cit. Sanch. *l. 7. d. 73. num. 12.* & 13. Barb. *in c. gaudemus, h. t. num. 6.* fundato hoc præ-

R. P. Leu. *jur. Can. Tomus IV.*

cepto in præsumptione & experientia, quæ docuit, succedentibus temporibus ordinariè non modicum perversionis periculum ex hac cohabitatione creari fidei converso; adeoque obligante hoc præcepto, si fortè hic & nunc cesset tale periculum in particulati aliquo calu.

3. Resp. tertio; Tale matrimonium non statim à puncto, quo infidelis tenuit converti, & cohabitare fidei sine contumelia creatoris, sed tum prius solvitur, cum fidelis secundum matrimonium contrahit. D. Thom. *in 4. d. 39. q. 2. a. 5.* Valent. Rebell. *LL. cit.* Castrop. *num. 5.* Cõn. *num. 63.* Sanch. *l. 7. d. 75. num. 4.* Pont. *l. 9. c. 4. num. 7.* Pirh. *h. t. num. 35.* Hart. *d. 8. de mat. diff. 13. num. 48.* Syl. Palud. &c. contra gl. *in c. quanto, h. t. & Abb. ibi, num. 6.* & 7. Richard. *in 4. d. 39. a. 2. q. 2.* Rodriq. *Tom. 1. sum. c. 250.* Angel. & alios; si enim, prout statuit & jubet Innoc. III. *in c. gaudemus h. t.* fidelis seu conversus ad fidem compellendus est recipere uxorem ex post conversam, antequam fidelis prius conversus matrimonium aliud contraxit, manifeste inferitur, vinculum prioris matrimonii solum non esse; neque dici potest cum gl. *in cit. c.* in favorem fidei matrimonium dissolutum restitui jure postliminii; cum matrimonium non nisi consensu mutuo libero perficiatur, ac conversus ad fidem absque novo consensu compellitur uxorem ex post conversam recipere, si necdum ab ea contractum aliud matrimonium; neque obstant verba Apost. *l. c. si infidelis discedit, discedat, neque enim servituti (hoc est vinculo matrimonii) subiectus est frater conversus,* nam non vult, quòd eo ipso solum sit vinculum matrimonii, sed eo ipso illum solum vinculo matrimonii, in quantum eo ipso non impeditur contrahere aliud matrimonium, quo contracto prius desinit, quemadmodum introductione novæ formæ præcedens expellitur.

4. Resp. quarto; ut conversus fidelis possit licitè inire matrimonium aliud, debere ei constare, in fidelem posse converti; eò quòd alià vià illud privilegium ei non concedatur, nisi quatenus infidelis ab eo discedit; adeoque si fieri commodè possit debere eum prius moneri, consultumque esse, ut hæc monitio fiat coram testibus autoritate Judicis, ut etiam in foro externo constat de obstinata infidelis voluntate tradit Castrop. *l. c. num. 7.* cum Sanch. *cit. d. 74. à n. 11.* Pont. *cit. v. 4. n. 22.* Cõn. *d. 26. d. 5. n. 62.* sicque colligi ex literis Pii V. relatis à Sanch. & literis Gregor. XIII. relatis à Poncio, verum tamen debere illi non tantum constare de voluntate infidelis remanendi in infidelitate sua, sed & voluntate non cohabitandi, & quidem sine contumelia creatoris & periculo peccandi, in quo consistit discessus ille physicus & moralis, & non purè in illa voluntate remanendi in infidelitate, quæ voluntas mutari potest, sequitur ex doctrina ejusdem Castrop. proposita responsione 2.

5. Resp. quinto: Dissoluto matrimonio primo per aliud matrimonium initum à fidei converso, infidelis non tantum validè (quod certum est apud omnes) sed & licitè inire poterit & ipse aliud matrimonium, non secus, ac si fidelis conversus mortuus esset; cum nullo textu aut firma ratione ostendi possit, id illi prohibitum; ita tenent alii relatis Sanch. *l. 7. d. 77. n. 6.* Gasp. Hurt. *d. 8. diff. 13. in fine.* Castrop. *l. c. n. 14.* Henriq. *l. 11. c. 2. n. 15.*

T 2

cum

cum gl. in c. fin. 28. q. 2. v. *Et in matrimonium*, contra D. Thom. in 4. d. 37. q. 2. a. 5. ad 3. S. Bonav. *ibid.* a. 2. q. 2. Ponc. l. c. num. 25. & alios motus hac ratione non satis firma: quia jure divino arcetur à novo conjugio contrahendo, eò quòd renuens peccet in Deum & matrimonium, posse tamen eum id ipsum, postquam & ipse conversus ad fidem, docent horum AA. aliqui; & ut horum alii, egere & tunc ad hoc dispensatione.

Quaest. 284. An matrimonium illud contractum in infidelitate solvatur quoque per susceptionem Ordinum vel per emissam professionem religiosam à fidei converso.

1. **R**esp. primò supponendo cum Sanch. l. 7. d. 76. à num. 1. Castrop. l. c. num. 11. & communi, non posse fidelem conversum hos status cum matrimonio incompatibiles assumere, antequam infidelis discedat physicè vel etiam moraliter; post discessionem autem illam fidei cognitam, posse illum suscipere Ordines & religionem intrare, non levis ac alius fidelis innocens celebrato divortio quòd ad thorum, etiam reclamante altera parte; & ita quidem, ut post susceptos Ordines aut ingressum in religionem non sit restituendus infideli jam etiam converso ad fidem, ut Cönnick. l. c. Sanch. num. 6. Castrop. l. c. quamvis duo postremi velint, fidelem ingressum religionem, si tempore conversionis conjugis infidelis necdum emisit professionem, restituendum illi; eò quòd necdum assumpsit statum incompatibilem, & causa divortii omnino cesset.

2. Resp. secundò directè: Vinculum talis matrimonii (intellige etiam in infideli discedente physicè vel moraliter) non solvi imprimis per susceptos Ordines à fidei; cum nullibi id privilegium concessum huic susceptioni, & ne quidem per eos solvatur matrimonium ratum fidelium. Sanch. Castrop. cum communi, ut ajunt; quamvis dicant, contrarium teneri ab aliquibus non infimæ notæ AA. dein neque per professionem religiosam; cum nullibi quoque reperiatu professioni concessum privilegium illud solvendi matrimonium consummatum (quod non nisi ex divina concessione solvi potest) etiam infidelium, cessatque hic omnino ratio, ob quam per matrimonium contractum à fidei solvatur prius contractum ex divina concessione, nimirum ne conjug conversus cogatur vel calibem vitam ducere, vel habitare cum infideli obstinato, orto inde periculo perversionis aut aliter peccandi, ac ita reddatur conversio odiosa, cum jam ipse per professionem liberet se ab ista cohabitatione eligendo vitam celibem, ita docent Hurt. l. c. diff. 14. num. 52. Castrop. l. c. num. 12. Ponc. n. 19. Cön. n. 65. cum Abul. 1. Reg. c. 8. q. 68. & 74. contra Sanch. d. 76. n. 9.

Quaest. 285. An quoque solvatur matrimonium fidelium per hoc, quòd unus conjugum labatur in hæresin, aut transeat ad errores gentilium, ita ut innocens transire possit ad aliud matrimonium.

Resp. Negativè, tamen aliàs in hoc casumajor videri posset contumelia creatoris, sic enim expressè deciditur in c. quanto, h. t. ab Innoc. III. quam sententiam, ait Pirh. h. t. n. 36. hodie relata esse inter decreta fidei autoritate Trident. sess. 24. can. 5. de mat. ubi: *si quis dixerit propter hæresin dissolvi posse matrimonium, anathema sit*; neque obstat, ut habent verba cit. c. quanto, quòd fortè opponi posset, fidelem relictum non debere jure suo sine culpa privari; cum in multis casibus id contingat, ut si alter incidatur, hoc est, castretur, per quam responsionem quorundam malitia occurritur, qui si in odium conjugum, vel quando sibi invicem displicerent, si in tali casu uxores dimittere possent, simularent hæresin; & sic is, qui remanet in fide cogatur ad eum redire, qui ab hæresi vel infidelitate revertitur; & per hoc ipsum solvitur quaestio, hucusque verba cit. c. Porro dum eod. c. dicitur ab Innoc. quendam ex Prædecessoribus suis (fuit is Cælestin. III. ut gl. hic v. prædecessor. & Host. qui in quadam decretali epistola sua, quam dicunt olim insertam fuisse corpori Juris, tit. de convers. infidel. definit, matrimonium dissolvi, dum alter conjugum labitur in hæresin vel ad gentilium errorem transit) visum sensisse contrarium, malè infertur ab hæreticis, Romanum Pontificem, dum aliquid ut Ecclesiæ universalis Rector & pastor definit, errare posse, cum imprimis Cælestin. hac de re nihil definitur, ut constat ex verbis cit. c. quanto, ubi dicitur *sensisse* non definitur censetur; sed solum antequam res illa examinaretur, propendebat in illam sententiam, & respondet, quod sibi probabilius videbatur, quin & ipse Innoc. in cit. c. ait: *non credimus, quòd in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero conjuge possit ad secundas nuptias transire.* Sed neque ex eo, quòd aliquid in corpore juri contineatur, sequitur, quòd sit à Pontifice definitum, cum multa habeantur in corpore juris, quæ Pontifices non definiunt tanquam fidei articulum, sed tantum dicunt & referunt suam sententiam, respondentque, quod sibi probabilius videtur, Azor. p. 2. l. 5. c. 4. q. 3. in object. 2. & ex eo Pirh. n. 34.

Quaest. 286. Ut matrimonium dissolvatur, seu potius nullum declaretur, quæ probatio requiratur.

1. **R**esp. primò: Tamen in foro conscientiae probatio nulla alia requiri videatur, quam ipsorum contrahentium testimonium, quippe cum in hoc foro sola eorum salus spectetur, iis fides adhibenda est, nisi aliunde colligatur manifesta deceptio, Sanch. l. 2. d. 45. num. 2. Menoch. de presump. l. 1. presump. 77. num. 16. Covar. in 4. decret. p. 1. c. 4. §. 1. num. 9. Cön. l. c. du. 6. in pr. Castrop. cit. p. 2. §. 6. num. 1. in foro tamen externo insufficientis ad hoc est testimonium illud contrahentium, tamen causa dissolutionis alligata sit fictio; eò quòd licet hæc causa, utpote interna, solum ei, qui illam opponit, nota esse possit, ejus tamen probatio eliditur matrimonio exteriori contracto, Arg. c. per inas. de prob. ubi: *nimis indignum est juxta legitimas sanctiones, ut quod quisque sua voce lucide protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare*; unde nisi ad sint conjecturae aliae, quæ moraliter certò persuadeant, stan-

standum est pro valore matrimonii. Ita Sanch. l.c. n. 3. & seq. Castrop. n. 2. Nav. c. 22. n. 82. Porro plures hujus fidei consensu conjecturas proponit Castrop. n. 3. Prima, si vir, mox, ut verba consensu significativa protulit, in continente revocet; eò quòd tunc præsumi possit, protulisse per inadvertentiam & inconsiderationem, juxta c. præerea. de testib. cogend. Sanch. cit. d. 45. n. 6. quòd tamen stante Trident. vix locum habere posse; cum Parochus teneatur consensum contrahentium diligenter explorare, ait Castrop. cum Cón. Secunda, si paulò post contractum matrimonium asseruerit, se fidei consensisse, & matrimonium aliud inerat, multo que magis, si Ordines suscipiat, aut religionem ingrediatur, eò quòd præsumendus non sit, tam citò revocaturus consensum, & cum damno prioris uxoris ducturus aliam, aut etiam status tam perfectos peccando mortaliter assumpturus. Sanch. l.c. n. 7. Nav. n. 77. Sylv. v. matrimonium. 4. q. 9. disto 1. & 2. negat tamen Castrop. hanc conjecturam facere plenam probationem; quin & cum Cón. n. 71. insufficientem reputat; eò quòd mirum non sit, quòd, qui ausus est Sacramentum matrimonii eludere, & conjugem decipere, ordinem & religionem peccando recipiat. Tertia, si conjux fictum consensum allegans sit disparis ab alio conditionis in divitiis, nobilitate &c. Menoch. l. 3. præsump. 1. n. 35. Covarr. l. c. c. 2. n. 4. &c. Sed hanc conjecturam ut insufficientem rejiciunt Sanch. n. 8. Sylv. Nav. Castrop. l. cit. eò quòd sæpe viri cæco amore ducti conjuges pauperes & ignobiles assumant. Unde etiam Castrop. cum Cón. asserit, quòd et si femina permitti possit, ex vi hujus testimonii in foro conscientie nubere alteri, id tamen viro in foro externo nequam permittendum. Quarta, si allegationem ficti consensu comitetur metus gravis, et si insufficientem ad irritandum matrimonium; tunc enim citissimam talem manifestationem consensu ficti inducere moralem certitudinem, verum animum contrahendi non adfuisse, consent Cón. l.c. Sanch. n. 12. Castrop. dicens, id verum esse, maximè si id ex parte puellæ contingit. Quinta, si uterque conjux fateatur, se fidei consensisse. Quòd tamen rejiciunt Castrop. Cón. l. cit. eò quòd sæpe contingat, utrumque conjugem panitere, & facilius credi possit tunc eos mentiri, quàm ante fidei contractum vel consummatum. Sexta, si allegans fictum consensum protestatus fuerit antecederet ad matrimonium, se fidei consensurum, Jo-And. Calder. Rodriq. & alii relati à Sanch. d. 44. n. 19. rejicientibus hoc ipsum aliis, cum Gl. inc. tua. de sponsal. v. mulierem. eò quòd ab ea protestatione recessum sit factò contrario, nempe contracto matrimonio. Distinguentibus hoc ipsum cum communi Sanch. l. c. Mascard. de prob. concl. 1243. Gutt. de matr. c. 52. n. 2. nimirum ut id procedat, si protestatio facta, altero conjugate sciente & consentiente; Secus, si eo ignorante vel repudiante. Verùm & hanc distinctionem cum Cón. rejicit Castrop. eò quòd alterius conjugis conscientia non in-

fert recessum à protestatione; cum consensum non magis inducat quàm ignorantia, sed solum faciat, ne contractus factus sit injuriosus alteri contrahenti. Quare dicunt, diligenter perquirendas causas talis protestationis, quæ si moraliter inducant dissentium, & hæc tempore contractus matrimonii perseverant, contractus judicandus sit invalidus, ut si ad illum cogaris metu cadente in constantem virum, & clam coram testibus protestaris, te non consensurum, censendus sis, non recessisse à protestatione. Quam doctrinam ait comprobari à Sanch. d. 45. n. 22. Masc. l. c. n. 13. Gutt. n. 2. Quòd si tamen causa protestationis cessasset tempore contractus, præsumendum sit, recessum esse à protestatione. Item si post contractum liberè habita est copula, censetur matrimonium denudò contractum, & si prior contractus invalidus in locis, ubi valent matrimonia clandestina ob non receptum Trid. secus in aliis. Castrop. l. c. Sanch. d. 45. n. 21. & 23. Gutt. n. 10. Nav. n. 78.

Resp. secundò: Dum agitur de dissolvendo matrimonio ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis &c. unicus testis non sufficit ad dissolvendum matrimonium, aut negandum debitum; cum jura matrimonii possidentis mintui non debeant ob probabilem tantum probationem, juxta c. cum à nobis. de testib. Sufficit tamen ad inducendam obligationem diligenter inquirendi in veritatem, quæ diligentia facta, & nova non accedente probatione, dubium deponendum, & in matrimonio, ejusque usu perseverandum. Sanch. à n. 24. Castrop. n. 4. cum communi. Proinde jam ad probationem impedimenti pro dissolvendo matrimonio requiruntur duo testes omni exceptione majores. c. super eo. & c. cum à nobis. de testib. Castrop. cum communi. Tales censentur etiam consanguinei, si sint probata vitæ, & matrimonium illis expediens. Ita ut tunc nulla exceptione repelli possint, ut alias repelluntur domestici. c. in literis. de testib. Castrop. l. c. Gutt. c. 44. à n. 39. Item ipsi contrahentes, vel etiam alter eorum, dum constat, eos matrimonium cupere, maximè, si cum eorum depositione concurreret fama, Sanch. n. 34. Cón. cit. du. 6. concl. 3. Castrop. l. c.

Quest. 287. An, dum adsunt istæ conjecturæ, quæ fictum fuisse consensum, vel illæ probationes, quæ impedimentum adesse concludunt, liceat conjugibus propria auctoritate dissolvere matrimonium.

Resp. negativè, dum matrimonium est publicum, sed requiritur auctoritas Judicis, ne generetur scandalum; secus dicendum videtur, si matrimonium est clandestinum; vel si publicum est, testes obierunt, nec adest ullum magis periculum; nullum enim tunc est scandali periculum, ob quòd aliàs requiritur Judicis auctoritas. Castrop. cit. §. 6. n. 5. Sanch. l. 2. d. 45. n. 13.

CAPUT II.

De dissolutione matrimonii quò ad thorum
& cohabitationem.

Quaest. 288. Quid hac in parte dicendum de libello repudii concessio Judæis, & num licita eis separatio talis, superinductâ aliâ uxore.

R Esp. primò: Libellus repudii sic dictus à parvo libro, quia fiebat hæc repudiatio in scripto hac vel simili forma: Conditione tua non utor: vel res tuas tibi habeto. Petyra in elucidar. L. 3. n. 1713. erat dimissio prioris uxoris, non tantum quò ad thorum, sed etiam quò ad solutionem vinculi matrimonii; quia fiebat, ut repudiata primâ, aliam uxorem superinducere posset, si vellet, maritus. Permissus erat Judæis in lege veteri hic libellus, seu hæc dimissio uxoris, etiam post consummatum matrimonium, Deuteron. 24. & Malach. 2. ob duritiam cordis eorum, ut inquit Christus. *Matth. 19.* adeoque jam Deo dispensante verè dissolvebatur prius matrimonium, & validè contraheretur novum, Nequaquam tamen id permissum gentibus, ita ut hæc nec liberè nec validè dare possent repudium tale uxoribus tuis.

2. Resp. secundò: Non tamen in lege Mosaica fuisse licitum tale repudium, sed tantum permissum tanquam minus malum ad vitanda majora, tenent aliqui. Probabilius tamen censent alii, ut Azor. p. 1. L. 6. c. 1. q. 8. Pirh. b. t. n. 49. cum communiore, id licitum fuisse, si enim id licitum non fuisset Judæis, siue si sine peccato id fieri non potuisset, vix credibile est, non aliquando saltem in Scriptura, vel à Prophetis iste usus repudii fuisset correptus.

3. Resp. tertio: Modò post legem Evangelicam certum est, nec Judæis, nec infidelibus aliis permissum amplius tale repudium, ita ut neque fiat licitè, neque validè, hoc est, matrimonium per illud non dissolvatur; quia Christus *Matth. 19.* reprobat illud, & ad statum legis naturalis, in quo matrimonium erat absolutè indissolubile, reduxit, & hanc dispensationem in hac lege naturæ Judæis concessam revocavit. Sanch. de matr. l. 10. d. 1. n. 7. & 8. unde, ut dictum supra, infideles ad fidem conversi uxores tempore infidelitatis repudiatas tenentur recipere, repudiatis illis, quis fortè superinduxerunt, uxoribus, excepto casu, quo per conversionem alterius conjugis solvitur prius matrimonium tempore infidelitatis contractum, prout deciditur c. *gaudemus. b. t.* Sed neque his obstat dictum Christi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & alteram duxerit, moechatur,* nam juxta dicta superius his verbis dissolutionem cohabitationis induxit, nisi antecesserit fornicatio, nulla facta mentione de dissolutione vinculi matrimonialis, uti illum textum explicant D. August. L. 1. de adult. conjug. c. 9. Abul. in c. 19. *Matth. 9. 76.* Maldon, & Janfen. *ibid.* & in illis Sanch. d. 2. n. 3. ubi quoque textus innuentes contrarium explicat. Ad hæc, ut Cajet. apud Castrop. d. 3. p. 6. nu. 1. Christus solùm dixit, moecharium, qui uxorem dimittit extra causam fornicationis; de dimittente

verò eam intercedente fornicatione, nihil dicit; tamen si Pharisei interrogantes Christum, quaestionem faciebant de dimissione quò ad vinculum. Et hæc ex constante sensu Ecclesiæ juxta mentem Apost. 1. ad Cor. 7. ubi: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, nisi causâ fornicationis, & si discesserit, aut innupta maneat, aut viro reconcilietur.* Quare c. *si qua mulier. 31. q. 1.* Ubi ex illo Apostoli textu inferretur, quòd, quia ibi non idem dicitur de viro, quòd de uxore, huic licere intercedente fornicatione uxoris discedere, & ducere aliam, meritò, utpote desumptum ex concilio apud Vermerias apocrypho. Maldon. in c. 19. *Matth.* ostendit non curandum. Uti & c. *uxor. 32. q. 1.* ubi quòd vir uxorem probatam ream de machinata sibi morte possit dimittere & aliam ducere ab Hæreticis falsò affingi Sancto Ambrosio, ostendit Abul. in c. 19. *Matth. 9. 76. ad 1.* Sed & concessio, dictos textus verè desumptos ex S. Ambrosio, aliisque Patribus loqui de legibus tempore sui sæculi usitatissimis, quæ aliter de viris, aliter de feminis hac in parte disponebant, ostendit Ponc. L. 7. c. 52. à n. 2.

Quaest. 289. An infideles, qui in secundo vel tertio ulteriore gradu lineæ collateralis, si convertuntur ad fidem, debeant separari quò ad thorum.

R Esp. Cùm tales contraxerint validè, quippe qui non obligabantur constitutionibus canonicis, vi quarum tantum annullatur matrimonium contractum in dictis gradibus; adeoque etiam post conversionem illorum ad fidem hoc eorum matrimonium subsistat indissolubiler quò ad vinculum, non sunt separandi etiam quò ad cohabitationem, dum ambo sunt conversi. Dum verò unus eorum conversus, & alter renuit converti, vult tamen fidei cohabitare sine contumelia creatoris & periculo perversionis, ad summum ex præcepto ecclesiastico quò ad thorum separandi videntur, non quia contraxerunt in gradu prohibito, sed quia ex cohabitatione regulariter præsumitur periculum perversionis, juxta dicta supra. Quòd si autem contraxissent in gradibus consanguinitatis jure divino ac naturali prohibitis, quales sunt gradus primus lineæ rectæ, & gradus primus lineæ collateralis, in qua sunt frater & soror, cùm tale matrimonium etiam gentilium & Judæorum fuerit semper nullum, conversi ad fidem omnino sunt separandi. Azor. p. 2. L. 5. c. 13. q. 2. Sanch. L. 7. d. 52. n. 12. Barb. inc. *gaudemus. b. t. n. 2.* Pirh. n. 40.

Quaest. 290. An & qualiter periculum animæ sit causa sufficiens divortii seu separationis quò ad cohabitationem.

R Esp. primò: Quotiescunque grave periculum animæ seu salutis imminet alteri conjugum ex cohabitatione, ut dum unus nititur alterum pertra-

pertrahere ad gravia peccata, est causa sufficiens divortii; cum iure naturali ac divino cuique permiffum declinare periculum animæ, & nemo reneatur cum eo fatifacere aliis obligationibus gravibus de cætero; adeoque nec matrimoniali, juxta illud Christi *Matth. 18. Si oculus tuus scandalizaverit, erue eum, & projice à te.* In quem locum D. Hieron. inquit sententiam Christi esse, ut hi, qui nobis conjuncti sunt, & instar oculorum, ut parentes, filii, uxor causa sint ruinæ, ab illis recedamus. Sanch. *L. 10. d. 17. à n. 5.* Ponc. *L. 9. c. 23. à n. 1.* Castrop. *d. 3. p. 6. §. 9.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 16.* cum communi juxta *c. 2. h. t.* aliosque textus, in quibus licet sermo sit de inductione ad infidelitatem, eadem tamen est ratio de quolibet alio peccato. Castrop. *l. c.* Sic itaque sufficiens causa divortii est, si vir sit leno, incitetque uxorem ad adulterium, Sanch. *l. c. d. 18. n. 6.* Castrop. *l. c.* Pirh. *h. t. n. 60.* Item si introducat viros procales, qui ipsam sollicitent, aut etiam vult, ut pellicem foveat. Castrop. Item si sollicitet ad concubitum Sodomiticum. Laym. *l. c.* vel etiam ad furta committenda vel tegenda & his similia. AA. iidem. Si conatur directè vel indirectè inducere ad ratiocinia. Laym. *l. c.* Item si conjux sit veneficus, quia ob societatem dæmonis grave malum animæ, quin & corporis timeri potest. Laym. Castrop. *l. c.* Sanch. *l. c. n. 22.* Cdn. *d. 35. du. 5. n. 23.* &c. De cætero ubi cessat illa ad peccatum ductio, quantumcumque conjux sit deditus vitii, exceptis adulterio & hæresi (de quibus paulò post) licitum non est divortium. Arg. *c. 2. h. t.* & ibi Gl. communiter recepta D. Thom. *in 4. d. 39. q. univ. a. 6. in corp.* Sanch. *d. 17. n. 4.* Ponc. *c. 23. n. 3.* Castrop. *n. 4.* Pirh. *n. 59.* quamvis D. Thom. Sanch. Laym. Castrop. & alii passim tradant, posse conjugem, præsertim maritum, titulo correctionis, & causâ emendandi & reducendi uxorem à gravi, cui implicita est, scelere, ad tempus se separare, dum ex eo secessu speratur fructus. In quo tamen maturo opus judicio & diligentia; cum ex hoc plerumque sequi soleant majora mala. Ut monent Castrop. Ponc. &c. Dixi *maritum*; quia is caput est mulieris, & ei competit corrigere uxorem. Quo tamen non obstante, habere tamen etiam quandoque locum talem separationem in uxore ad emendandum virum.

2. Resp. ad secundum: Ad hoc divortium faciendum conjux innocens non eget Judicis sententia; quia ipso jure naturali conceditur, & non est perpetuum, sed temporale; ad tempus usque cessantis periculi; tum quia ob moram est periculum lapsus in peccatum. Sanch. *L. 10. d. 17. n. 10.* Castrop. *l. c.* Pirh. *n. 58.* Laym. *l. c. n. 18.* qui tamen hoc limitat, nempe si periculum animæ vel corporis est notorium, licere facere talem separationem auctoritate propria. Imò addit, remittens ad Gutt. *c. 24. n. 28.* Sanch. *d. 18. n. 3.* ratione scandali virandi plerumque necessarium esse Judicis ecclesiastici officium implorare, nisi periculum sit in mora. De cætero, an & qualiter auctoritate propria possit innocens à conjugè adultera recedere ante sententiam, dicitur infra.

Quest. 291. An & qualiter periculum corporis sit causa sufficiens divortii.

1. Resp. primò: Periculum vitæ vel salutis corporalis grave (intellige tale, quod virum

prudenter & constantem, attenta personæ qualitate, terrere posset: & quale est non tantum mutilationis membrorum, sed etiam gravium & atrocium verberum; qualia uxori etiam delinquenti potestatem inferendi vir non habet, ut Laym.) imminens ex cohabitatione; si aliâ viâ averti nequit, est causa sufficiens divortii duraturi, usque dum periculum cesserit, & sufficiens cautio præstetur de malo impofterum non inferendo. Ratio est; quia nemo tenetur cum tanto suo detrimento debito alterius aut obligationibus suis satisfacere. Sanch. *d. 18. n. 2.* Laym. *l. c. n. 16.* Pirh. *h. t. n. 60.* Castrop. *n. 5.* cum communi. Arg. *c. ex transmissa. c. literas. de restit. spol.* Sic itaque in particulari causa sufficiens divortii est. Primò lepra, similisque gravis morbus contagiosus, intellige, habitualis seu diu durans. Castrop. Laym. *l. c.* Cönninck. *d. 35. du. 4. n. 22.* Secundò furor continuus, si inde tale grave malum immineat. Castrop. Laym. Pirh. *l. c.* Sanch. *d. 18. n. 18.* Si verò hujusmodi periculum absit, etsi molestum sit amenti cohabitare, molestia tamen hæc toleranda. Sanch. Pirh. *l. c.* idem est de ebrietate. Laym. *l. c.* Tertio latrocinatio viri, dum nimirum mulier prudenter timet, se tanquam illius criminis sociam puniendam, vel saltem reputandam; adeoque incursum vitæ & honoris detrimentum. Castrop. *l. c.* Sanch. *n. 21.* Nav. *cit. c. 22. n. 22.* Barb. *rub. ff. soluto matr. p. 2. n. 29.* & alii. Quarto sævitia viri undecunque proveniens, dum is atrociter & gravia verbera inferre solet. *cit. c. ex transmissa. & c. literas.* Castrop. *n. 6.* Pirh. *n. 61.* Laym. *n. 16* idque etiam, si uxor culpâ suâ occasionem det. Pirh. *l. c. cit. l. nec timorem. ff. de eo quod met. caus.* Secus, si non sit immoderata verberatio, sed solum moderata castigatio, quam vir uxori inferre potest. Pirh. *l. c.* Sanch. *d. 18. n. 5.* Secus item si semel aut iterum, etiam atrox præter consuetudinem viri ex insolito & ingenti motu iræ accideret, nisi istiusmodi verberationis sæpius impofterum exercendæ probabilis timor adesset. Laym. *n. 17.* Pirh. *l. c.* Sanch. *n. 26.* non enim in genere, ut notat Castrop. *n. 7.* citatis Gutt. *l. 1. q. can. c. 24. n. 9.* Barb. *rub. ff. soluto matr. p. 2. n. 32.* Sanch. &c. damnum seu malum illatum causam sufficientem præbet divortii, nisi inde sumatur præsumptio sufficiens de iterando illo; Tametsi autem citati textus *c. ex transmissa. & c. literas.* Loquantur de uxore timente sævitiam viri (quia frequentius viri in uxores sæviunt, quàm è contra) locum tamen etiam habet divortium in viro prudenter timente sævitiam uxoris ob easdem rationes. Sanch. *n. 8.* Gutt. *l. c. n. 8.* Ponc. *n. 8.* Castrop. *n. 6.* Quintò machinatio mortis alteriusque gravis mali, seu insidiæ structæ à conjugè. Castrop. *l. c.* juxta textus *cit.* Denique causa divortii sunt graves & frequentes rixæ, cum nimis duram ac molestam reddunt cohabitationem, graveque malum reputetur, habere semper offensum, & à se alienatum illum, cum quo vivere semper quis cogitur, ex quo res alterius pendent. Sanch. *L. 4. d. 6. n. 14.* & *L. 10. d. 18. n. 11.* Henriq. *L. 11. c. 17. n. 7.* Laym. *l. c. n. 17.* Pirh. *l. c.* Castrop. *n. 8.* ubi etiam cum Bald. *in c. 1. ut litè contest. n. 3.* Decio *conf. 130. n. 4. vol. 4.* & aliis. Huc refert retentionem concubine domi vel extra, quæ præbeat causam sufficientem divortii, non solum titulo adulterii, sed & sævitie, cum sit causa perpetuæ discordiæ, & sæpe

repe,

repetitorum verberum, adeoque molestissima cohabitatio. Circa quæ notandum, in his casibus non referre, utrum malum ab ipso conjugè timeatur, an verò à parentibus ejus, modò conjux non sit sine culpa, ut dum posset remove malum, v. g. recedendo à parentibus, intermittit. Laym. l. c. citans Sanch. cit. d. 6. n. 23. Arg. c. extransmissa.

2. Resp. secundò: Quamvis & hic locum habeat, quod dictum quæst. præced. resp. 2. nimirum quòd, ubi causa divortii ob grave periculum est notoria, fieri possit autoritate propria, tutius esse & plerumque necessarium ratione scandali implorare officium Judicis, nisi sit periculum in mora. Laym. l. c. n. 18. Porro causa hæc tractanda coram Judice ecclesiastico; quia agitur de obligationis Sacramenti matrimonii dissolutione, in qua utpote spiritali solus Ecclesiasticus Judex est. Castrop. n. 9. citato Covar. in 5. decret. 2. p. c. 7. §. 6. n. 14.

Quæst. 292. An & qualiter cautio interposita impediatur divortium, præcipue faciendum ratione sævitie.

1. Resp. primò: Dum cautio sufficiens præstari potest de malo imposterum non inferendo, locus non est divortio; malum siquidem, quod timeretur, ut sufficiens sit ad faciendum divortium, debet esse inevitabile; ergo si hæc via cautionis sit evitabile, divortium faciendum non est. Laym. l. c. n. 17. citans c. extransmissa & c. literas. Distinguunt hoc ipsum alii. Asserit enim Castrop. l. c. p. 9. n. 10. ex Ponc. l. 4. c. 23. n. 6. cum Riccio in pr. decis. 235. & juxta decis. rote 250. apud Farinac. vol. 2. consil. probatà plene sævitiam (probationes siquidem, ut sequatur divortium, concludentes esse debent; cum sub dubio nemo jure suo certo spoliandus sit. Castrop. n. 10. Paris. conf. 54. n. 16. vol. 4. Barbof. rub. ff. solut. matr. p. 2. n. 27.) non esse uxorem tradendam viro, quam vis cautionem de non offendendo offerat; quia non decet uxorem justè trepidantem fragilitati cautionis committere; cum cautio non immutet malevolam animam. §. fin. Inst. de suspell. tutor. Sanch. cit. d. 18. n. 33. esse verò locum cautioni de non offendendo, ubi probationes sævitie non sunt integræ. Castrop. n. 11. tradit.

2. Resp. secundò: Sufficiens autem cautio censetur, per quam boni viri arbitrio satis consultum est incolumitati conjugis. Laym. l. c. ubi etiam, quòd talis plerumque sit cautio fidejussoria aut pignoratitia, & interdum optimam esse juratoriam, si vir probus videatur quam maximè revereri religionem juramenti, ut Gutt. l. 1. q. 99. can. c. 24. n. 3. Quin & debere esse in hoc casu pignoratitiam vel fidejussoriam (eo quòd quoties exigitur cautio ob suspicionem personæ, semper esse debeat cum pignore vel fidejussore, juxta L. si fidejussor. §. fin. ff. qui satisfacere coguntur) asserit Castrop. n. 11. cum Sanch. l. c. n. 36. idque usque adeo requiri, Riccio in prax. decis. 254. n. 2. Ponc. & c. ut nequeat Judex esse contentus cautione juratoria viri, tamen si impotens sit pignoratitiam vel fidejussoriam cautionem præstare, quod tamen postremum negat Castrop. cum Sanch. n. 42. eò quòd cit. c. literas. de restit. spol. dicatur, dandam uxori cautionem pignoratitiam vel fidejussoriam, quantum fieri potest, & ad impossibilia nemo obligetur. Item regula generalis sit, non habentem pignora vel fidejussorem, quia pauper vel advena est, satisfacere præstando cautionem juratoriam. auib. generaliter, c. de Episc. &

cler. Roland. conf. 43. n. 21. Sanch. n. 38. Barb. in l. divortio. §. interdum. ff. solut. matr. quinimo existimat Castrop. cum Laym. Sanch. n. 43. Gl. & Innoc. in c. extransmissa. Sufficere juratoriam, dum vir est aliàs bonæ vitæ & famæ, etsi pignoratitia vel fidejussoria haberi possit. Unde concludit Castrop. cum Sanch. n. 32. & 41. arbitrio Judicis deferendum, qualis hic & nunc præstanda cautio.

Quæst. 293. Quæ prævis concedendi divortium ob sævitiam, & qualiter pronuntiatur sententiæ, conjuges statum mutare possint.

1. Resp. ad primum: Petitò divortio ob matris sævitiam, Judex solet petere informationes per testes, qui de sævitia deponant (testes verò singulares in hac materia probant, modò omnes in genere testentur sævitiam. Castrop. l. c. n. 10. cum Ponc. cit. n. 6. & Canif. in c. 2. b. t.) & habita sufficiente informatione, interlocutoriam sententiam pronunciat, ut uxor in loco tuto statuatur, subministratis ei à viro alimentis, donec lis decidatur. c. extransmissa. Quin &, ut Castrop. n. 9. cum Ponc. c. 73. n. 7. Riccio. in pr. decis. 235. n. 6. Gutt. q. 3. can. c. 24. n. 7. & Rota decis. 250. apud Farinac. vol. 2. conf. expensis ad liem sustinendam & promovendam, ne his destituta cadat causa. De quo postremo enucleatè magis infra. Ac denique ejus arbitrio committitur, utrum, præstata sufficiente cautione securitati mulieris prospici possit; an verò non sit satisfactum, sed divortium fieri debeat. Et enim hac omnia Judicis examini & arbitrio committuntur, ubi & arbitrari, an malum, quod timeretur, sit grave & inevitabile. Laym. n. 17. ex Sanch. n. 20. & Gutt. cit. c. 24. n. 5. & sequitur fere ex dictis.

2. Resp. ad secundum: Dum sententia divortii ob sævitiam pronunciata restricta est ad tempus, scilicet quousque vir signa dederit emendationis vel cautionem obtulerit, certum est, neutrum statum mutare posse, v. g. ingrediendo religionem, aut suscipiendo Ordines. Si verò sententia est absoluta; eò quòd desperetur vir corrigendus à sævitia, quamvis cautionem dederit, conjux innocens ad religionem vel Ordines transire potest, non secus, ac si divortium factum ob adulterium. E contra verò id non licet nocenti in viro innocente, exceptis casibus, in quibus id licet adultero. Castrop. cit. p. 9. n. 12. Sanch. l. 10. d. 18. n. 48. Ponc. cit. c. 23. n. 9. Porro innocente post divortium absolute factum ad sui consortium virum sævum admittente, censetur eo ipso irrogatam injuriam remittere, ac habere securitatem in ejus cohabitatione, ac proinde, nisi se novæ offerant causæ, ex præteritis ab eo separari nequit. Castrop. l. c. Ponc. n. 9. Farin. l. 2. conf. 156. in fine.

Quæst. 294. An & qualiter adulterium sit causa sufficiens divortii.

1. Resp. ad primum: Adulterium est causa sufficiens divortii perpetui, utpote per se & directè fidei conjugali & contractui matrimoniali repugnans, dum interim alia crimina presentia sufficientem causam divortii, ut Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. cum Bellarm. l. 1. de matr. c. 14. resp. 2. habeant se per accidens ad matrimonii substantialem obligationem, adeoque iis cessantibus recipi debeat conjux. Hanc esse sententiam constantem omnium Catholicorum, ait Castrop. d. 3. p. 6. §. 1. propter illud Christi Matth. 5. & 19. *Quicumque dimiserit uxorem*

uxorem suam, nisi ob fornicationem. Quia verba Christi intelligenda esse de divortio tantum, quod ad thorum & cohabitationem, dictum est supra, & prout explicat S. Hieron. ad cu. c. 19. *Math.* & in *Epist. ad Amandum*. D. August. l. 2. de *adult. conjug. c. 9.* Innoc. 1. *Epist. ad Exuperium*. Trid. *sess. 24. de mat. can. 7.* & prout colligitur ex *Apost. 1. ad Cor. 7. precipio non ego, sed dominus &c.* Tametsi autem verba illa Christi, uti & textus Juris can. c. ex *lueris. c. significasti. c. gaudemus. b. t.* faciunt mentionem solum de adulterio uxoris, ut pote graviore; adeoque Cajet. in illud *Math. 19.* censuit solis viris concedi potestatem faciendi divortium ob adulterium uxoris; verissima tamen sententia defendit, in hoc utrumque conjugem esse paris conditionis; cum jus divortii faciendi oriatur ex violatione fidei conjugalis (non enim censentur conjuges obligati ad mutuam cohabitationem & redditionem debiti, nisi quatenus sibi invicem fidem servaverunt) ob quam conjuges aequali jure obligantur. D. Thom. in 4. d. 35. q. unic. d. 4. Sanch. l. 10. d. 3. n. 6. Ponc. l. 9. c. 16. an. 4. Laym. l. c. n. 8. Castrop. l. c.

2. Resp. ad secundum: Nomine fornicationis moechiae, adulterii sufficientis ad divortium venit copula completa seu perfecta, quae fit cum effusione feminis, & sine qua non dividitur perfectè caro in alienam carnem, habita cum alieno viro vel femina; adeoque non venit copula imperfecta multoque minus tactus impudici, aut etiam pollutio habita secum aut cum alio. Sanch. l. 10. d. 4. num. 3. Ponc. l. 9. c. 16. num. 3. Laym. l. c. n. 7. Castrop. l. c. num. 2. Neque solum copula perfecta naturalis, sed & Sodomitica, bestialis; quia & per hanc dividitur caro in carnem alienam contra fidem datam matrimonii & pacti matrimonialis naturam. AA. iidem & alii passim, cum Abb. in c. *maritus. de adulterio. num. 3.* & communi.

3. Resp. ad secundum secundò: Adulterium præbens sufficientem causam divortii debet esse formale, seu continere malitiam formalem adulterii, ita ut, si ab ea aliquo modo excusetur, V. G. per violentiam commissum, vel etiam igno- rante, ut dum conjux bonæ fide accessit adulterum putans esse suum maritum, aut si probabiliter credens maritum suum mortuum, transit ad secundas nuptias, vel etiam fornicetur cum alio; cum talis fornicatio non habeat rationem formalis adulterii; non sufficiat ad faciendum divortium; cum jam alteri conjugi non sit injuriosum. Sanch. l. 10. d. 5. à num. 11. Laym. n. 13. Ponc. l. 9. c. 17. num. 8. Castrop. num. 3. cum communi. Quin & adulterium commissum ex metu cadente in virum constantem, non concedere innocenti jus faciendi divortium; eò quod non sit commissum ex malitia & dolo, quod requiri videtur l. *penult. ff. ad Leg. Jul. de adult.* docent cum Abb. *conf. 4. num. 3. vol. 1.* Rosell. v. *adulterium. n. 5.* Sylv. *ibid. q. ult.* Tabien. & alii, quorum sententiam probabilem censet Sanch. n. 13. Verum contrarium sentit Sanch. n. 16. Castrop. n. 3. Covar. in 4. *decret. 1. p. c. 5. num. 3.* Henric. l. 11. c. 17. n. 5. Cóninck. d. 35. du. 2. num. 10. Laym. l. c. citans plures alios; eò quod, cum metus non excuset à culpa adulterii, & fidei datæ violatione, quibus divortium jure naturæ immititur, non possit à divortio dotisque amissione excusare, licet excuset à pœna legibus inducta; ut AA. iidem.

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

Quæst. 205. Quando nam non liceat facere divortium ob adulterium.

1. Resp. in sequentibus casibus. Primò ubi uterque conjugum commisit adulterium; æquum enim non est, unius delictum puniri, æquali alterius delicto manente impunito; & paria delicta mutua compensatione delentur, prout statuitur, & dicitur expressè; c. *penult. & ult. de adult. c. significasti. c. ex lueris. eod. L. si uxor. ff. ad Leg. Jul. de adult.* item à S. August. l. 1. de *sermon. domi. in monte. c. 28. relato. in c. 1. 32. q. 2.* ubi: *Nihil iniquum, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud: in quo alterum judicas, te ipsum condemnas. Rom. 2. &c.* Nihilque refert, quod adulterium uxoris sit gravius & notorium, mariti minus grave & Secretum, unum prius, alterum posterius; cum per utrumque fides data in matrimonium violetur, & jus separandi se soli innocenti concedatur. Sanch. l. 10. d. 5. à num. 2. Ponc. l. c. c. 17. num. 5. Gutt. de *mat. c. 129. num. 15.* Laym. l. c. Castrop. p. 6. §. 2. num. 1. cum communi. Nihilominus compensatio hæc mutua est solum, quò ad divortium & dotis amissionem, non verò quò ad accusationem criminalem & vindictam publicam; cum liberum sit marito accusare criminaliter uxorem de adulterio; uxori autem non permittitur hæc accusatio; L. 1. c. ad *Leg. Jul. de adult.* Sanch. l. 10. d. 8. num. 46. Laym. Castrop. *ll. cit.*

2. Secundò, si maritus adulterii uxoris fuit author; cum tunc æquè sit culpabilis ac uxor, Sanch. l. 10. d. 5. à num. 5. Ponc. num. 7. Gutt. num. 16. Farinac. *Tom. 1. q. 143. §. separatio thori.* Castrop. num. 2. Laym. *cit. num. 13.* cum comm. Procedit idipsum, si ve uxor invita, si ve lubens prostitutioni consentiat. Castrop. *loc. cit. arg. c. discretionem. §. quòd si forsan. de eo, qui cognov. consang.* Item si adulterio uxoris consentiat (in quo casu vir consentiens etiam punitur pœnâ læonis; l. 2. c. ad *Leg. Jul. de adult.*) expressè vel tacitè; eò quod v. g. potens facile impedire, non impedivit, nulla intercedente legitima causâ hujus non-impeditionis, de quo paulò post; cum tacito illo consensu censendus sit remittere jus divertendi, quod ex illata sibi injuria conceditur. Castrop. Laym. *ll. cit.* Henric. l. 11. c. 17. num. 4. Sanch. *loc. cit. num. 3.* Qui etiam ibi notat, mulierem conciam de marito adulterio, neque impediendam, non esse censendam consentire; cum raro ipsa illud impedire possit, neque ejus dissimulatio, utpote quæ est viro subjecta, censenda est delicti approbatio. Quemadmodum etiam, si vir suspicionem habens de uxoris adulterio, dissimulet se in longinquum proficisci, animo statim redeundi, vel testes apponat absconditos, ut certus de adulterio, possit uxorem dimittere, vel in futurum emendare, nullatenus censendus est adulterio consentire, sed illud permittere ob honestum finem; Sanch. l. 10. d. 12. num. 52. & cum eo Castrop. *cit. num. 2.* Pari modo censendus non est adulterio consentire, adeoque prohiberi à faciundo divortio, quòd causam remotam dederit uxori ad illud. V. G. negando debitum, non suppeditando alimenta, expellendo illam à domo & à cohabitatione sua. Ponc. num. 7. Castrop. num. 3. Gutt. num. 8. Sanch. d. 5. num. 6. arg. c. *significasti. h. t.* & ibi Gl. v.

U

materiam.

materiam. Neque enim mulier ulla ratione ad fornicationem adduci debebat; neque, ut Ulpian. in *l. palam. ff. de rit. nupt. num. 43.* ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit. Secus tamen foret, ut Sanch. Gutt. Castrop. &c. si vir ea intentione repulisset, alimentisve privasset &c. ut necessitate compulsa adulterium committeret; cum tunc adulterium uxoris viro sit voluntarium.

3. Tertio, si conjux innocens nocenti jam condonasset adulterium; hac ipsa enim condonatione cessisset juri acquisito faciendi divortium. Castrop. *num. 4.* dicens, sic docere omnes. Idque sive hac condonatio sit expressa, uti si verbis expressis remittat injuriam sibi factam, & inde jus acquisitum divertendi; sive tacita, ut si concilius adulterii, adeoque potens facere divortium conjugi adulteræ copuletur, vel illam ita familiariter tractet ac ante; cum enim his signis satis præsumitur habuisse animum reconciliationis, ad intentandum divortium accusandumque adulterium non admittitur. Castrop. citans decisionem Rotæ apud Farinac. 193. *vol. 2. conf. censensque cum Sanch. l. 10. d. 14. à num. 2.* ad hanc condonationem non requiri adulteri acceptationem, eò quòd hæc condonatio sit quedam juris cessio & remissio, quâ signis exterioribus manifestatâ tollitur ab adultero impedimentum petendi debitum, quod ex adulterio contraxerat. Quòd si tamen innocens adultero extrinsecus exhiberet dicta signa remissionis, absque animo tamen remittendi jus, quod habet, accusandi illum criminaliter & civiliter, etsi in foro externo nec divortium, nec accusationem intentare possit, probabile tamen censet Castrop. *num. 5.* cum Sanch. *d. 24. num. 21.* in foro conscientie jus divertendi & accusandi integrum remanere, eò quòd istiusmodi facta non sint ipso jure remissio; & certè si ex imperio Judicis facta, eò quòd adulterium non plene probatum, remissionem non inducerent, sed essent solum signa aliqua animi remittentis, sive ex quibus præsumeretur iste animus, adeoque remissio; unde hoc animo non existente, nulla est remissio; arg. *l. questum. §. item quaritur. ff. ad Leg. Jul. de adult.* ubi dicitur, destituisse videri. An verò ea sit tacita reconciliatio ex parte utriusque, dum conjux adulter emendatus alterum de emendatione monet, non convenit inter AA. affirmant Laym. *cit. num. 14.* Sanch. *l. 10. d. 7. num. 4.* Cón. *d. 35. du. 2. num. 1. concl. 6.* eò quòd monitus, esto, non admittat reconciliationem, eam tamen admittere teneatur; cum sit æquè nocens ac alter. Negant Castrop. *num. 7.* Ponc. *l. 10. c. 17. in fine.* Hurt. *d. 11. diff. 3. num. 10.* censentque monitum ex sola admonitione sibi facta & reconciliatione sibi oblata, sed non acceptata, non cessisse jus divertendi, & consequenter si sibi facta remissione, post hanc non delinqueret, posse adhuc intentare divortium, cum nihil impediât; emendatus vero seu monens intentare non poterit divortium, quòd sibi non fuerit delictum remissum. Porro si reconciliatus post reconciliationem commisit denuo adulterium, potest ei denuo ab innocente, non ob delictum condonatum, sed ob de novo commissum intentari accusatio, tam criminalis quò ad punitionem, quàm civilis, quò ad divortium & amissionem dotis. Unde etiam, si uterque nocens sibi mutuo injuriam cesserunt, alteruter iterum la-

psus in adulterium, divortio subjectus est absque eo, quòd innocenti divortium intentanti obijcere possit adulterium ante reconciliationem commissum, *c. de his. de accusat. & l. transvere. c. de transact.* cum remittentibus actiones non concedatur regressus; *l. queritur. ff. de adultio edicto.* Ita ex communi sententia Sanch. *d. 5. n. 21.* Laym. *l. c. n. 14.* Castrop. *n. 6.* Ponc. *c. 17. in fine.* Molin. *tr. 3. d. 95.*

Quæst. 296. An & qualiter conjux innocens possit propria autoritate divertere a conjuge adultero, an verò necessario expectanda sententia Judicis.

1. Resp. primò: Dum adulterium notorium est per evidenciam facti, vel etiam per confessionem rei in judicio etiam civili, licet innocenti citra sententiam facere divortium, tam quò ad debiti redditionem, quàm quò ad mutua cohabitationis separationem. Sanch. *l. 10. d. 12. num. 31. juncto. num. 13.* Surd. *de aliment. tit. 7. q. 16.* Abb. *in c. constitutus. de convers. conjug. num. 4.* Castrop. *cit. p. 6. §. 4. num. 3.* arg. *c. ex parte. de sponsal.* ubi: *Nemini licet uxorem dimittere sine manifesta causa fornicationis: unde rectè inferitur: ergo stante manifesta causa fornicationis licet eam dimittere. Siquidem cum delictum notorium est, perinde est, ac si publicâ sententiâ & judicio reus damnatus esset. Quin & nequidem Ecclesia in hoc casu adulterii notorii compellere potest innocentem ad adulterium recipiendum, pro ut decidi viderit in c. significasti. b. r. ubi: Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commississe, ad eam recipiendam presatus vir cogi non debet &c.* Quam doctrinam verissimam esse ait Castrop. *num. 9.* sive adulterium factum sit post spoliolum (hoc est, post separationem) sive ante; eò quòd quocunque tempore notorii commissum sit, restitutio neganda est. Neque decisio *cit. c. significasti.* (esto, in ea solum fiat mentio adulterii commissi post spoliolum) ad hoc restringenda sit; cum commissum ante spoliolum sit gravius commissio post spoliolum, utpote ad quod illa separatio potuisset extitisse aliquis occasio.

2. Resp. secundò: Pari modo ob adulterium quoque occultum, secluso scandalo, potest innocens se separare à nocente, nullâ expectatâ sententiâ. Castrop. *loc. cit. num. 2. juncto num. 5.* citatis Sanch. *ubi ante. à num. 5. & 14.* Rebell. *l. 2. q. 11. Cóninck. d. 35. num. 2.* Hurt. *d. 11. diff. 6. num. 21.* &c. cum enim matrimonii natura ea sit, ut conjuges sibi invicem obligentur ad mutuam cohabitationem & debiti redditionem, dum carnem suam non dividerint in alienam, facta hac divisione carnis ab adultero, cessat hæc obligatio in innocente; adeoque innocens faciens divortium, non sibi ipsi jus dicit, sed jure à matrimonii natura concessio utitur. Potestque hoc ipsum dici divortium autoritate Ecclesiæ celebratum, ad hæc, si ob adulterium notorium (vel etiam, ut Ponc. ob adulterium, quod in continenti fieri potest notorium) licet innocenti propria autoritate à nocente divertere, licebit quoque id ipsum ei in foro conscientie ob adulterium secretum; jus enim separandi se ab eo non nascitur ex publicitate delicti, sed ex ipso delicto, cum publicitas requiratur solum ad evitandum scandalum, & consequenter scandalo cessante, quo modo

modocunque constet de adulterio, innocens possidet jus faciendi divortium. Exprimitur hoc ipsum quoque ad Hieron. in *c. dixit dominus. 32. q. 1. ubi: Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur uxor* &c. ubi, ut bene asserit Castrop. diligenter notandum verbum illud *liberè*, utpote quod nullam requirit licentiam vel sententiam; quia ipsummet indicat latam esse sententiam, ut pluribus comprobat Tiracq. in *l. si unquam. v. revertatur. ff. de revocat. donat.* Sed neque ullibi in jure extat præceptum positivum, quod non obstante illâ jam explicatâ naturâ matrimonii, ad vitandas nihilominus hominum fraudes & malitias prohibeat separationem illam factam sine declaratione Ecclesiæ. Nam imprimis textus *c. secularis. 33. q. 2.* vetans talem separationem non loquitur de dimissione ex causa adulterii, sed fornicationis; quæ causa cum Ecclesiæ autoritate introducta sit, & latitudinem habeat, æquum non erat, cujusvis judicio relinqui separationem ob eam factam; in adulterio autem, quod indivisibile est, jus naturale divortio causam præstat. Dein. *c. porrò h. t.* ubi dicitur: *Etiam si parentela esset publica & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit* &c. non agit de divortio quò ad thorum seu cohabitationem, sed de dissolutione matrimonii, quò ad vinculum (nempe ob consanguinitatem) & libertatem copulandi alteri, quæ res, cum sit gravissima, & longè gravioribus exposita periculis, meritò judicium Ecclesiæ seu Judicis ecclesiastici sententiam requirit.

3. Resp. tertio, ut tamen innocens propria autoritate possit, hoc divortium facere, debet esse moraliter certus de adulterio conjugis; cum ob dubium vel suspensionem probabilem, nequeat in conjugem suum ferre quasi sententiam, & eum jure, quod habet, privare. Castrop. *cit. §. 4. num. 7.* dicens, sic notare omnes DD. & colligi ex *cit. c. ex parte. de sponsal.* ubi: *Nemini licet uxorem absque manifesta fornicationis causa dimittere.* Licet autem in *cit. cap. dixit Dominus*, dicatur: *Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur uxor.* Nomine suspensionis non qualibet suspicio, sed violenta, quæque certitudini morali æquivaleret, intelligitur; ut Castrop. Porrò certitudinem moralem ea solum præstant, quæ in judicio externo probata sufficerent, ut Judex sententiam proferret, Sanch. *l. 10. d. 12. num. 40.* Gutt. *de mat. c. 129. num. 12.* In particulari verò talia sunt. Primò dubium non est, esse sufficiens indicium adulterii, ut deciditur in *c. lueris. de præsump.* si solus quis cum conjugè sola, nudus cum nuda in eodem lecto deprehenderetur; oscula verò & amplexus præcisè neque ex se sufficienti ad separationem, ut verius cum Sanch. *n. 47.* Castrop. *num. 8.* contra alios. Neque etiam plenè adulterium probant. Si tamen contingerent in loco abdito & secreto, ubi facile copula haberi posset, vel aliis conjecturis adjuvarentur, si non ad condemnationem criminalem pœnæ ordinariæ, bene tamen ad separationem thori & cohabitationis. Castrop. citans Bursat. *vol. 2. conf. 218. num. 3.* Mascard. *de prob. concl. 57. num. 5. & concl. 64. à n. 1.* Covar. *4. decret. 2. p. c. 7. §. 6. num. 3.* Nav. *Rub. de judic. num. 10.* non contradicente Sanch. si bene legatur *l. c. num. 45.* Secundò literæ

R. P. Leur. *jur. Can. Lib. IV.*

amatoriæ ipsius mulieris, in quibus adulterium præteritum fateretur, eò quod licet illa confessio, utpote extrajudicialis non plenè probet delictum, facta tamen in judicio plenè illud probaret; adeoque unâ cum dictis literis amasio missis valens movere Judicem ad sententiam de adulterio; Castrop. *loc. cit.* citatis Menoch. *de præsump. l. 5. præsump. 41.* Paris. *conf. 54. vol. 4.* Masc. *loc. cit. num. 10.* ac consequenter jam sufficiens ad sententiam de divortio ferendam, & quod hinc sequitur ad illud faciendum autoritate propria. Et sanè, ut Sanch. *num. 51.* Gutt. *num. 18.* si satis est ad illud faciendum, quò de conjugis adulterio seu de ejus violento indicio innocens certior factus à persona fide dignissima, cui meritò prudentissimus quisque fidem haberet, cum illud dictum morale certitudinem præstet, à fortiore ipsius conjugis adulterantis in literis amatoriis facta confessio certitudinem moralem præstare censenda est; illud quoque addendum, quod satis probabile esse ait Castrop. & pluribus firmari à Gutt. *num. 18.* Ferret. *conf. 168. num. 4. & 5.* Farinac. *Tom. 4. q. 136. num. 18.* nimirum ad divortium celebrandum non requiri ea indicia adulterii, quæ violentam, sed sufficere ea, quæ probabilem & vehementem suspensionem generant. Ac notandum denique cum eodem Castrop. *num. 9.* Riccio *in prax. decis. 232.* Ponc. *l. 10. c. 18. num. 4.* tanquam certum, quòd, si orta controversia in ordine ad dissolvendum matrimonium super impotentia viri, ipse fateatur adulterium se commississe, ex hac confessione, etiam facta in judicio, uxorem non posse intentare divortium, eò quòd illa confessio præsumi debeat fraudulenta ad elidendam uxoris intentionem, factaque sit contra formam præscriptam in *c. ex lueris. h. t.*

4. Resp. quartò: Tametsi igitur nullâ expectatâ sententiâ, innocens secluso scandalo se à conjugè adultero separare possit, si tamen conjugis spoliatus querelam interponat de injuriâ sibi facta, petatque restitutionem, statim restituendus est; & quidem quò ad omnia, in quibus spoliatus est; nimirum tam quò ad cohabitationem, quàm redditionem debiti (non enim ad est in hac restitutione ad debitum conjugale in hoc casu periculum peccati, sicut illud adest, dum spoliatus ob matrimonii nullitatem restituitur, qui & propterea oblati in continente probationibus, non restituitur nisi ad cohabitationem, *c. literas. de restit. spol.*) neque separatio permittenda, quousque adulterium plenè probatum sit, juxta quòd deciditur in *cit. c. ex lueris. c. in questione. c. item cum quis de restit. spol.* ita Sanch. *cit. d. 12. num. 15.* Castrop. *num. 20.* Sylv. *v. matrimon. 1. q. 5. &c.* Neque enim æquum est, conjugem publicè ptivare jure suo & possessione, quin publicè constet de causa, ob quam & jure privatus est. Nihilominus tamen spoliante certum moraliter de adulterio, præcepto superioris jubentis spoliato reddi debitum, non teneri obedire, tradit Castrop. *num. 11.* eò quòd hoc præceptum latum ex falsa præsumptione obligationem non inducat; & vel maxime, cum ex ejus observatione spoliante proveniat damnum irreparabile, nempe bigamiæ, si velit ad ordines transire, & uxorem virginem accipit, & post adulterium illius non cognovit. Unde & Sanch.

U 2

num. 22.

num. 22. cum Alex. in l. naturaliter, §. nihil commune, ff. de acquirend. possess. num. 20. & Menoch. de recuper. possess. remed. 1. num. 115. & aliis censet, virum spoliante in hoc casu, offerentem probationes in continenti, id est, intra breve tempus arbitrio Judicis, cogendum non esse uxorem spoliatam admittere ad conjugale debitum, tamen ad omnia alia restituatur; arg. c. literas, de rest. spol. quemadmodum etiam in casu, in quo conjux certus est, etiam compulsus per excommunicationem non debet, ad alium conjugem quod ad thorum redire juxta cit. c. literas, unde etiam in hoc casu reddi licitam restitutionem debiti, etiam dum Papa compelleret redire ad confortium thori, & jam dum impedimentum esset jure humano dispensabile, nisi prius in eo dispensasset, & de novo contractum matrimonium, docetur communiter contra Henric. l. 12. de mat. c. 3. num. 2. apud Krimer. de mat. num. 1665. docentem hoc casu, urgente precepto Judicis ecclesiastici, evadere honestam & licitam restitutionem debiti. Unde jam etiam illud colligendum, quod dum uxor à viro, rejecta, vel contra, agit possessorio ad restitutionem, quando certum est eam prius fuisse in possessione juris, quod spoliata est, & vir opponit exceptionem consanguinitatis inter se & ipsam, virum quidem esse ei restituendum, non tamen plenè, nimirum quod ad rectum & lectum, esto, vir habeat probationem parentelæ seu consanguinitatis, quæ spatio paucorum dierum terminari posset, ne conjuges exponantur periculo incestus, quod non imminet ex restitutione ad solum rectum. Si autem probationes habet paratas, sed longa opus est processus dilatione, spoliata plenè restituenda. His non obstante c. 1. de ordin. cognit. ubi dicitur vir ad uxoris spoliatæ receptionem antequam compellatur, præviè discuti debeat quæstio exceptionis oppositæ super consanguinitate; quia hæc est exceptio præjudicialis; nam id verum non est, si agatur in judicio possessorio recuperandæ; quia in eo judicio non agitur principaliter de valore matrimonii, sed supponitur, quando ejus possessio antecedens constat, ut habetur c. ex conquestione. c. literas. de rest. spoliat. sed tantum, quando agitur in judicio petitorio; in eo enim, si agatur causa matrimonialis, & auctori opponitur exceptio consanguinitatis, ea non tantum admittitur, sed etiam prius cognoscenda quam causa principalis, dum hæc illa probata perimitur. Atque in cit. c. de ord. cognit. agebatur petitorio; quia non agebat mulier, ut vir, cum fuerat in possessione matrimonii, sibi restitueretur tantum, sed etiam, ut is sibi adjudicaretur tanquam verus maritus.

Quest. 297. An maritus teneatur dimittere uxorem adulteram.

Resp. Per se nulla est ad hoc obligatio. Sanch. l. 10. d. 13. à num. 6. Laym. l. c. num. 15. Hurt. d. 12. diff. 4. à num. 15. Castrop. cit. p. 6. §. 3. num. 2. cum communi. Christus siquidem Matth. 5. & 19. à precepto non dimittendi uxorem excipiens fornicationis causam, satis indicat, stante hac causâ, maritum neque adstringi ad retinendam uxorem, neque ad dimittendam, sed utrumque ei liberum esse, juxta quod ait D. August. relatus in c. idololatria. 28. q. 2. permittit

dominus, non jussit; uti & ipsum confirmatur ratione: cum enim divortium jure ipso naturæ inductum sit in pœnam delinquentis, & innocents favorem, æquum erat, ne innocens ad illius executionem astringeretur, sed illo pro suo libitu uti possit, ne aliàs in ejus pœnam verteretur. Sed neque ullus est textus, ex quo leviter colligatur illa adulteram expellendi obligatio; nam textus illi Proverb. 18. qui autem tenet adulteram, stultus est & inspiens, quia eâ retentione suis hæreditibus injuriam irrogat debita hæreditate fraudando, suæque famæ notam lænonis imponit, juxta textum c. sicut crudelis. 32. q. 2. ubi: Sicut crudelis & iniquus est, qui castam dimittit uxorem, ita fatuus & injustus est, qui retinet meretricem, patronus enim turpitudinis est; textus illi, inquam, loquuntur de marito retinente uxorem adulteram, non pœnitentem seu non emendatam, nulla adhibita correctione; is enim ejus turpitudinis particeps & patronus censeretur debet; juxta quod dicitur c. si vir. de adult. ubi: Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, rem erit, & ejus criminis particeps. Tenebitur tamen quandoque, etsi rarissimè, per accidens lege caritatis ad eam dimittendam maritus, dum nimirum credit eam corrigendam, scandalumque sedandum, si ad tempus eam dimittat, idque sine gravi incommodo facere possit. Quamvis rectè dicat Castrop. num. 3. id ferè impossibile; eò quod uxor, quæ in domo mariti eam reprehendentis & punientis delinquit, inde dimissa liberius sit peccatura. Quin & ad utendum istiusmodi remedio dubio non tenetur; neque ratione suspicionis & scandali, quod patrocinetur delicto uxoris; cum illi suspicioni aliis remediis occurrere possit. Unde jam etiam infert Castrop. num. 4. cum Sanch. d. 13. num. ult. Henric. l. 11. c. 17. num. 3. Hurt. Cón. &c. à fortiore, cum vel nunquam uxorem obligatam esse separare se à marito adultero; eò quod ipsi, utpote subditæ viro, permittitur non sit virum corrigere puniendo, sed tantum monendo & exhortando; neque dimissio censenda sit remedium aptum ad corrigendum; cum dimissus fiat liberior; ad hæc uxori incommodissimum sit cœlibem vitam ducere ac carere viri confortio regulariter sibi utilissimo.

Quest. 298. An & qualiter ob hæresin liceat facere divortium.

1. **R**esp. primò: Hæresis non quæcunque, sed pertinax (qualis est, quæ post unam alteramve correctionem persistit) est causa sufficiens divortii, Laym. l. c. num. 16. Castrop. l. c. num. 2. Sanch. l. 10. d. 15. num. 9. cum communi juxta illud Apost. ad Titum. 3. Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devota; & prout colligitur ex c. fin. de convers. conjug. c. quando. b. t. c. non solum. c. idololatria. 28. q. 1. plerumque enim ex cohabitatione, cum hæretico pertinaci imminet periculum perversionis conjugi Catholico ejusque proli; & licet de facto in aliquo casu hoc periculum cessaret, non tamen impediretur propterea Catholicus facere divortium; cum satis sit, periculum ut plurimum adesse, Sanch. Castrop. ll. cit. Cón. d. 35. du. 4. num. 24.

2. Resp.

2. Resp. Secundò: Præmissa admonitione & correptione (uti ea præmitti debet divortio. *cit. c. non solum*) cognitaque obstinatione conjugis in hæresi, etiam propria autoritate se separare poterit conjux Catholicus. Laym. *l. c.* quin & animadvertens perversionis periculo, jure naturali ac divino obligatur se separare. Sanch. *n. 5. Ponc. L. 9. c. 22. n. 2.* Laym. *l. c.* quod tamen Castrop. *l. c.* credit intelligendum, dum conjux niteretur conjugem Catholicum pervertere, adessetque periculum gravissimum assentiendi; cum aliàs nemo teneatur pericula communia peccandi cum gravi damno suo fugere; esset autem grave separare se à cohabitatione, & obsequiis conjugis carere, calibemque esse; quin & cum ex tali separatione conjugi immineret periculum grave incontinentiæ, quod obligatus potius est fugere, quam periculum perversionis non graviter urgens. Porro propria autoritate separans se Catholicus nequit sacris initiari, aut religionem ingredi; cum cedat id in præjudicium, conjugis hæretici, utpote qui conversus repetere potest conjugem Catholicum; neque is tueri se potest hæresi etiam notoriè commissa à suo conjugè; hæc enim, seclusa declaratione Ecclesiæ, præbet causam divortii solum temporalis, ita, ut cessante hæresi, teneatur Catholicus ei reconciliari; in quo maximè differt hoc adulterium spirituale à carnali adulterio. Castrop. Laym. Ponc. Cõn. *LL. cit.* Sanch. *L. 10. d. 15. n. 20. & seq.*

3. Resp. Tertio: Hæreticum judicio Ecclesiæ declaratum resipiscentem ab hæresi non tenetur Catholicus conjux ad sui consortium recipere. Sanch. *d. 15. n. 19.* Laym. *l. c.* Castrop. *n. 5.* Ponc. *num. 3.* Covar. *4. decret. 2. p. c. 7. §. 5.* Hurt. *d. 11. dist. 5. n. 20.* Barb. *h. rub. 2. p. num. 20. ff. solut. mat. &c.* contra Gl. *in c. de illa. h. t. in fin.* Jul. Clar. *L. 5. recept. §. hæresis. num. 15.* Surdum *de alim. tit. 7. q. 21. n. 7.* Sotum *in 4. d. 39. q. unic. a. 4. ad. 3.* & alios censentes, Catholicum non eximi ab hac obligatione, nisi religionis ingressu. Arg. *c. fin. de convers. conjug.* ubi: *mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad religionem liberè convolare.* Ratio responsionis est, quòd Ecclesiæ in pœnam hæresis possit privare, & privet hæreticum jure, quod habebat conjux in conjugem exigendi conjugale debitum, mutuamque cohabitationem in perpetuum, non secus, ac aliis juribus, dominiis, bonis &c. constatque id ipsum ex *c. de illa. h. t.* ubi: *Si verò judicio Ecclesiæ ab eo (nimirum à viro lapsò in hæresin) recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam, cap. verò quanto. tit. eod.* compellitur mulier ad virum hæreticum pœnitentem redire, ideo, quia judicio proprio, & non Ecclesiæ se ab eo separavit; & *c. fin. de convers. conjug.* licet mulieri, quæ in fide remansit, concedatur, ut etiam nolente viro resipiscente ab hæresi, possit ad religionem convolare, nullo tamen modo ad id arctatur, sed eo ingressu liberè concessò, declaratur plena ejus exemptio à cohabitatione viri. Castrop. *n. 5.* Porro censeri Catholicum judicio Ecclesiæ ab hæretico separari, eo ipso, quòd hæreticus ut talis declaratur, licet privatim & in secreto ab Inquisitoribus hoc judicium fiat, quia est pœna, quæ declarationem delicti sequitur, censet Sanch. *d. 15. n. 20.* & cum eo Castrop. De cætero notandum hic cum Laym. *cit. num. 16.* nimirum Ecclesiam,

si id necessarium judicet ad occurrendum periculo animæ (non enim leviter juvat pœnitentem hæreticum ad perseverandum in fide, & ad vitandum incontinentiæ, nimiamque tristitiæ & desperationis periculum, eundem recipi ad consortium Catholicum) præcipere posse Catholico, ut conjugem hæreticum ad fidem conversum ad cohabitationem recipiat, tum ob autoritatem DD. docentium, inesse illam Catholico obligationem; tum quia Ecclesiæ in tali casu ad salutem animæ multum pertinentem, nunquam ita hæreticum damnare censetur, quin postea, si serio resipiscat, eundem restituere possit, modò res integra sit, & innocens statum non mutarit ingrediendo religionem, vel ordines suscipiendo.

4. Resp. Quarto: Hæreticus damnatus, resipiscens ab hæresi non potest invito Catholico, à quo separatus, mutare statum, sed teneri ad consortium Catholicum redire, si is velit; cum hæc pœna ob hæresin imposita, non debeat cedere in detrimentum innocentis; unde etiam censet Castrop. *n. 6.* citatis Sylv. *v. divortium. q. 10.* Sanch. *d. 15. n. 4.* Ponc. *L. 9. c. 22. n. 4.* quòd licet probabile sit, sententiã divortii latã ob adulterium & acceptatã ab innocente, nocentem obligatum non esse ad consortium innocentis redire; in præsentem tamen id nullo modo probabile censendum esse; eò quòd separatio ob adulterium integrè fiat in favorem innocentis, & ob injuriam ei factam; separatio autem ob hæresin fiat præcipuè ob injuriam fidei & religioni factam, & in ejus satisfactionem, neque egeat innocentis acceptatione.

5. Resp. Quintò: Catholicum habentem copulam cum conjugè hæretico ante sententiam de hæresi, non censeri per hoc remittere jus diver-tendi; quia nequit renunciare juri, quòd ex perseverantia hæresis nascitur. (cum, ut dictum, debeat se ab eo pertinaciter in hæresi perseverantè separare) ait Castrop. *n. 7.* quòd idem videtur de hæretico non pertinace, sed volente corrigere hæresin; quia ob admittam hæresin in hoc casu nullum adhuc jus acquiserat faciendi divortium. Si verò habita copula post sententiam (intelligitur cum hæretico resipiscente, utpote respectu cujus jam acquiserat jus se ab eo separandi) renunciare Catholicum hoc ipso dicto juri, si habendo copulam habeat expressum animum condonandi; secus, si adesset animus non condonandi, vel etiam, si neuter animus expressè adesset; secus, ac accidit in divortio ob adulterium carnale, ubi (quia per talem copulam redintegratur caro, quæ fuerat divisa in alienam) censetur facta per eam copulam cessio juris, et si uterque animus expressus desit, ut censet Sanch. *l. c. n. 26.* contrarium tamen sensit Castrop. citato Ponc. *l. c. n. 5.* nimirum habitã dictã copulã post sententiam, necessariò præsumendam dictam juris remissionem; eo quòd licet in pœnam injuriæ Deo irrogatæ absolvatur à debito conjugali conjux Catholicus, absolutio tamen ea cedat in ejus favorem, cui is renunciare possit; adeoque habens cum hæretico copulam, hoc ipso protestari censetur, nolle se ab eo separari.

6. Resp. Denique in crimine hæresis non datur, sicut in adulterio, compensatio, Castrop. *n. 8.* citatis Sanch. *L. 10. d. 16. à n. 1.* Ponc. *num. 6.* non primò cum adulterio; cum hæresis ante sententiam non sit causã divortii perpetui, sicut est adulterium; adeoque conjux adulter, à quo conjux hæreticus discedit, non potest se tueri exceptione hæresis nondum damnatæ. Sed neque

adulterii cum hæresi iudicio Ecclesiæ declarata; eò quòd et si tam hæc, quàm illud sit causa divortii perpetui, divortia tamen hæc contingant, ex diversa ratione, unum ob violationem fidei conjugio debita; alterum in pœnam ob violationem fidei DEO ejusque religioni debita; adeoque eum unum horum delictorum cum altero compensari nequeat, quilibet eorum habet jus discedendi ab altero, adulter ab hæretico, & hæreticus ab adultero. Nonsecundò hæresis unius cum hæresi alterius venit compensanda; cum pœna divortii ob hæresin non imponatur ob injuriam conjugio factam, sed DEO, unius autem hæresis alterius hæresis gravitatem non minuit, sicut contingit in adulterio, ubi unius injuriâ alterius injuriâ compensatur, utpote quæ eidem conjugio adversatur; ita ferè Castrop. *tr. 28. d. 3. p. 6. §. 8. num. 8.*

Quæst. 299. An quoque ob alias causas fieri possit divortium.

Resp. Affirmativè; esseque hanc veritatem Catholicam, ait Castrop. *l. c. num. 1.* juxta quod definitum à Trid. *sess. 24. can. 8.* his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quo ad thorum, seu quò ad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit,* constatque ex toto *tit. de divortio & convers. conjug.* sed neque obstat, quòd Christus solam causam divortii assignaverit fornicationem; cum locutus tantùm fuerit de causa perpetua separationis, & quæ contractui matrimonii obstat, qualis est sola fornicatio; cum ceteræ causæ ex se perpetuam separationem non inferant, sed solum quamdiu eæ persistunt, neque matrimonio sunt propriè & directè oppositæ.

Quæst. 300. An & qualiter consummato matrimonio fieri possit divortium, quò ad thorum ob ingressum religionis, vel susceptionem Ordinum citra consensum alterius conjugis.

Resp. Primò: Conjug consummato matrimonio & seclusa omni alia causa, nec licitè nec validè proficitur religionem sine licentia conjugis alterius, & consequenter hac ratione divortium, quò ad thorum facere non potest, uti hæc habentur expressè. *c. quidam. c. placuit de convers. conjug.* consummato enim matrimonio, non est sui juris, sed alterius, cui se tradidit in matrimonium; adeoque eo invito non secus ac servus invito domino invalidè proficitur, & consequenter se illicitè & invalidè separat, quò ad thorum à conjugè; quod idem esse, si gravi metu injustè incusso aut dolo consensus, seu licentia ad hoc extorta fuerit, ait Laym. *l. c. num. 3.* & si de facto se ex ea causa separat & profiteatur, ab altero conjugè repeti potest, utpote cui professio nulla, & exinde facta separatio præjudicare non potest. Castrop. *cit. p. 6. §. 11. num. 1.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. num. 4.* quin & conjugè etiam non revocante posse illum propria autoritate post talem professionem exire, & se uxori restituere, tradunt idem cum Sanch. *L. 7. d. 34. n. 10.* Less. *de just. L. 2. c. 41. n. 25.* juxta quod decisum *c. 2. 32. q. 5. c. accedens. de convers. conjug.* imò teneri illum redire ad uxorem, tenent Laym. *l. c.* Sanch. *n. 15.* Sor. *iv. 4. dist. 27. q. 1. à 4.* eò quòd dum

uxor non consentit ingressui, est manifesta injuria, quippe retinet rem alienam invito domino. Neque dimittere habitum ex obligatione conjugii, est contra Trid. *sess. 25. c. 19. de regular. damnans* tanquam apostatam, qui quacunquè ex cauhabitum dimittit. Castrop. *n. 4. Ponc. L. 9. c. 20. n. 2.* Neque etiam obstat, quòd in *c. placet de convers. conjug.* dicatur de ingressa in religionem, in ejus potestate non esse ad sæculum redire, sed in potestate mariti, & ideo, quantum ad ipsam, tenuerit votum, quod post mortem mariti tenere non desit; nam dici potest cum Castrop. *l. c. n. 5.* hunc textum sic intelligendum, quòd non possit redire ad vitam conjugalem, ut ante, ratione voti castitatis, quò vi professionis factæ est & manet obstricta, quò impeditur petere debitum, & mortuo marito ad continendum. Teneri tamen talem nulliter professam ad castitatem, quantum cum matrimonio compati potest juxta textum *cit.* eò quòd præsumatur emittendo professionem, voluisse se ad hanc obligare, quantum potuit; adeoque, cum potuerit se obligare ad non petendum debitum durante matrimonio, & illo soluto ad integram castitatem, illam servare obligatum esse; non tamen teneri ad illam, si expressam voluntatem habuisset, non obligandi se ad castitatem, nisi in statu religioso persisteret, velex suppositione, quod religiosus esset, censent AA. iidem, Sanch. *n. 3.* Less. *n. 29.* Castrop. *n. 2.* Laym. *l. c.* quemadmodum certum est taliter professum sine licentia uxoris nullatenus teneri ad tegressum in religionem soluto matrimonio per mortem uxoris; cum in illa professione (secus ac in illo voto castitatis accidit, utpote quod stante matrimonio vim suam habere potuit) non imbibatur votum ingrediendi religionem; quia est ipse ingressus, qui, cum nullus sit, nullam parit obligationem.

2. Resp. Secundò: Validè quidem, sed illicitè conjug etiam matrimonio non consummato sine consensu alterius recipit Ordines; est communis definita *c. conjugatus. de convers. conjug. & Extrav. antiqua. de voto.* unde jam etiam ordinatus potest à conjugè revocari; cum ejus malitia non debeat conjugi præjudicare, nisi fortè, dum matrimonium necdum consummatum, velit ingredi religionem, ut Castrop. *l. c. n. 7.* Quòd si tamen tempore ordinationis uxor non reclamavit, censent quidem, eo ipso datam ei licentiam, Negant è contra Sanch. *d. 35. n. 15.* Gurr. *de mas. c. 95. n. 26.* Castrop. *cit. n. 7.* solam dissimulationem esse sufficientem; cum dissimulatio non sit licentia, & in re ita gravi & juri proprio præjudicanti expressa licentia requiratur, uti ad ingressum religionis. Arg. *c. consulti. de convers. conjug.* Porrò ordinatum sine licentia conjugis non teneri ad conjugem redire, nisi ipsa petat, maximè, si matrimonium consummatum non sit, habet Castrop. *n. 8.* juxta *cit. Extrav. antiqua.* imò non posse ad conjugem non petentem redire, secus ac accidit in professò, utpote cujus professio nulla fuit, censent plures apud Sanch. *L. 7. d. 38. n. 26.* Contrarium tamen, sive idem dicendum de ordinato, quòd de professò, verius censet Castrop. eò quòd licet Ordo in casu hoc susceptus sit validè, non pugnet tamen cum matrimonio, nisi quatenus votum castitatis annexum habet, quo æquè in hoc casu professus etiam nulliter obstringitur juxta dicta; adeoque sicut professus non repetitur de se redire potest, & conjugi petenti debitum reddere, non autem petere, sic & talis ordinatus.

Quæst.

Quest. 301. An & qualiter divortium fieri possit consummato matrimonio ob ingressum religionis, vel Ordinum susceptionem de consensu alterius conjugis.

R Esp. Primò: Licita & valida est professio, uti & susceptio Ordinum, & hinc separatio quò ad thorum, facta de licentia alterius conjugis etiam matrimonio consummato. *c. conjugatus, c. uxoratus. de convers. conjug.* & prout colligitur ex illo Christi *Matth. 19. Omnis qui reliquerit domum . . . & uxorem, centuplum accipiet.* Tamen autem ad validè (ut dicitur paulò post) non tamen ad licitè profitendum sufficit illa conjugis licentia, sed insuper requiritur, ut dans licentiam, & ipse ingrediatur religionem, (intellige non solum, ut in ea reclusus à seculari conversatione removeatur, ut vult Palladius, sed ut in ea profiteatur, ut habet communis cum Abb. in *c. uxoratus*, Sanch. *L. 7. d. 52. n. 4.* Gutt. *c. 95. n. 6.* Castrop. *n. 12.*) juxta *c. cum sis. & c. 1. de convers. conjug.* ita ut satisfaciatur ingrediendo religionem quamcumque veram & approbatam, v. g. profitendo in Ordine Equitum S. Joannis seu Melitenium, in qua, etsi extra claustrum vivat, virtute tamen professionis non est iisdem periculis expositus, quibus secularis; vel manens in sæculo votum edat perpetuæ continentia (quod tamen votum non evadit solenne, neque subsequens matrimonium mortuo conjugè professo, contrahendum dirimit; cum, ut habetur *c. unic. de voto in 6.* nullum datur votum solenne, nisi in religione approbata, vel Ordinum sacrorum susceptione; ita Castrop. *n. 13.* Sanch. *L. 7. d. 32. num. 8.* Gutt. *l. c. num. 7.* Ponc. *L. 9. c. 12. n. 3.*) sitque ejus ætatis, ut sine incontinentia suspicione & probabili periculo valeat in sæculo manere, ut habetur *c. uxor. & c. ad Apostolica. de convers. conjug.* circa quod notat Castrop. *n. 9.* cum Sanch. *n. 9.* & 10. Gutt. *n. 8.* & 10. requiri utrumque, nimirum & senilem ætatem & carentiam suspicionis de incontinentia. Item hanc dispositionem communem esse utrique conjugum; eò quòd *c. uxoratus.* sola uxor excipitur ab ingressu religionis, si ita senex est & c. *c. Apostolica.* tamen uterque conjux excipitur. Porro cum dicta dispositio non spectet communitatem (qualiter quia eam spectat v. g. lex jejunandi, ætas excusans ab illius observatione, certà quadam regulà definiti potest, v. g. quòd annus 60. ad hoc sufficiat) sed singulares personas, dicta ætas & carentia suspicionis de incontinentia excusans à religionis ingressu, Episcopi judicio relinquuntur arbitrandà, spectatis circumstantiis personarum, valetudine, robore & modo procedendi, Laym. *l. c. n. 3.* Sanch. *n. 15.* Gutt. *n. 2. & 3.* Castrop. *n. 10.* (qui etiam addit, plerumque in viris sexagenariam, in fœminis quinquagenariam deberi judicari sufficientem, utpote quæ spectato communi cursu insufficientis sit ad generandum, quod tamen quò ad viros frequentius fallit) Ponc. *L. 9. c. 12. n. 3.* & alii, juxta quòd statuitur. *c. si vir & uxor. 27. q. 2. & c. 1. de convers. conjug.* De cætero ultra licentiam conjugis ad valorem professionis non requiri licentiam Episcopi, communis & rectius tenent Sanch. *à n. 3.* Gutt. *n. 4.* Ponc. *n. 2.* Laym. *n. 3.* quin etiam Episcopi licentiam non esse necessariam ad licitè profitendum seu de precepto, sed solum ex consilio & ad majorem securitatem; eò quòd in citatis textibus nullum feratur de hoc præ-

ceptum, & si fortè fuerit latum, jam consuetudine sit abolitum. Contrarium tamen sentiente Castrop. *n. 11.* eò quòd dicitur in *c. si vir & uxor: nullatenus sine consensu Episcopi fiat, rò nullatenus necessitatem præcepti importet, quòd consuetudine abolitum non esse, confiter ex eo, quòd potius hodieum soleat dicta Episcopi licentia exquiri.*

2. Quòd si tamen dant hanc licentiam ingrediendi, ipse non ingrediatur, ut obligatur, religionem, dum juvenis est, & de incontinentia suspectus, non exinde alterius conjugis professio est nulla. Sanch. *L. 7. d. 33. à n. 2.* Gutt. *n. 11.* Ponc. *n. 4.* Castrop. *n. 14.* Neque tamen etiam talis compellendus est ad profitendam religionem, aut votum emittendum, Castrop. *n. 15.* cum votum castitatis religionisque assumptio ex propria, & non ex aliena voluntate esse debeat, ut Less. *l. 2. c. 41. n. 26.* quin imò si in tali casu, qui postquam dedit licentiam, ipse profiteri aut vovere non vult, debet Episcopus sic professum conjugi revocare, quousque is votum continentia, aut professionem religiosam emitat; eò quòd usque tunc non cedat perfectè juri suo. Castrop. *l. c. §. 11. n. 15.* Ponc. *n. 5.* juxta quòd expressè deciditur *c. 1. de convers. conjug.* ubi: *dicimus, quòd nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuam castitatem promiserit, vir potest & debet de monasterio revocari, ipse tamen exire nequit: mortua verò uxore (idem est, si votum emitat aut profiteatur) dictus professus ad monasterium redire debet; quia ejus professio valida fuit, & solum ejus executio ob conjugis incontinentiam suspensa fuit.* Sanch. Less. Castrop. Gutt. Ponc. *LL. cit.*

3. Resp. Ad secundum: In susceptione Ordinum de licentia conjugis eadem observanda esse, quæ in professione religionis; cum eadem & efficacior sit ratio, siquidem graviore periculo incontinentia exposita est uxor juvenis in sæculo manens, viro ad Ordines promotò, quàm in religione professo, cum communiore tenent Nav. *in man. c. 22. n. 52.* Cuchus *L. 5. Inst. major. tit. 12. n. 223.* Sanch. *L. 7. d. 39. n. 6.* Gutt. *c. 96. n. 1.* Arg. *c. Agathosa. 27. q. 2. c. Episcopus. dist. 77. c. ex parte. de convers. conjug.* nihilominus spectato rigore juris, probabilius censet Castrop. *n. 17.* citatis Sa. V. *divortium. n. 4.* Ponc. *L. 7. c. 25. à n. 5.* conjugem dantem licentiam ordines suscipiendi, tamen si sit juvenis & de incontinentia suspecta, non esse obligatam profiteri religionem, sed satis esse, si votum continentia emitat, eò quòd dicta obligatio ex nullo textu colligatur. ex *c.* autem *sane. de convers. conjug.* tantum inferatur, nullum conjugatum posse ad Episcopatum assumi, etiam si ejus uxor prius religionem profiteatur; cum ibi nullum verbum de aliis Ordinibus fiat; quamvis tamen, ut ipse Castrop. & Ponc. spectata consuetudine, nullus permittitur initiari sacris Ordinibus, quin ejus uxor religionem profiteatur, aut, si senex, & de incontinentia non suspecta, votum castitatis emitat, in quo posteriore casu non permittitur ordinatus habitare cum conjugè, nisi in separato cubiculo. Abb. in *c. conjugatus. de convers. conjug. n. 5.* Castrop. *n. 18.* juxta *c. Episc. consue. n. 5.* Sanch. *L. 7. d. 39. n. 8.* Gutt. *c. 95. n. 3.* ne quidem permittendos habitare in eodem domo ob male suspicionis occasionem.

4. Quòd si conjux dans licentiam suscipiendi Ordines, dein nolit profiteri, aut votum emittere, petatque sibi restitui virum ordinatum, Sanch. *d. 39.*

d. 39. n. 12. negat restituendum, sed ipsam compellendam, ut votum emittat, ad quod emittendum concedendo licentiam se obstrinxerat; contrarium censet Castrop. num. 19. Porro votum, quod in hoc casu emittit uxor, non dirimere matrimonium subsequens, uti illud non dirimit votum dantis licentiam ingrediendi religionem, quia solenne non est, censet Ponc. c. 25. n. 10. Sotus L. 7. de Jus. & Jur. g. 5. a. 3. in solut. ad 2. Contrarium, nempe per votum in tali casu emissum reddi emittentem inhabilem ad matrimonium aliud mortuo viro ordinato, tenent, & communem dicunt Azor. Tom. 1. L. 13. c. 14. g. 11. Gutt. c. 96. n. 5. Sanch. L. 7. d. 40. a. n. 2. Castrop. l. c. n. 20. citantes c. si se, & c. quia sunt. 28. dist. eò quòd Ordini sacro debitum erat, ne uxor dans veniam, ad aliud matrimonium transfret; quin & probabile esse, id procedere dicant Sanch. num. 7. Gutt. c. 95. num. 8. tamen si uxor ignara sit hujus juris; eò quòd ad hanc inhabilitatem inducendam spectetur sola Ordinis reverentia. Si tamen uxor conscia ordinationis nec consensisset, nec dissensisset, sed dissimulasset, non reddi inhabilem ad aliud matrimonium mortuo marito; eò quòd illa dissimulatio in re tam gravi non sit reputandus consensus; adeoque ei non magis præjudicari possit, quàm si vir ea ignorante ordinatus fuisset. Contrarium tenet Castrop. n. 21. cum Gl. in c. ea sunt. dist. 28. v. fuisse. eò quòd ea dissimulatio toto tempore vitæ mariti continuata inferat consensum verum & irrevocabilem; quod secus esse dicit Castrop. Si (intellige in hoc casu nec dati, nec negari consensu) viventem conjugem, utpote ordinatum sine ejus consensu expresso ad suum consortium revocaret.

Observandum circa hæc; conjugatum suscipientem Ordines sacros (secus est de minoribus) sine licentia expressa conjugis incurrere suspensionem seu irregularitatem juxta Extrav. antiqua. de voto. unde nec in Ordine suscepto ministrare possit, neque ad altiorem ascendere; neque beneficium aut officium ecclesiasticum obtinere, ordinatum verò de licentia uxoris, ea de in nolente ingredi religionem, aut votum castitatem, dictam irregularitatem non incurrere, etsi censeant plures, Castrop. tamen n. 23. dicit, sibi id non placere; eò quòd taliter ordinatus ab uxore tali voto castitatis non ligata possit repeti, ad quod evitandum dicta Extrav. lata; quin & in ea asseratur, conjugatum, qui ad Ordines aliter ascenderit, quàm SS. Canonibus noverit convenire, affici dicta pœna; qui autem ordinatur, quin ejus uxor professionem emittat, ascendit aliter ad Ordines, quàm SS. Canonibus præscribitur, ergo. A dicta tamen pœna excusari ordinatum ex qualibet ignorantia, modò affectata non sit, eò quòd cit. Extrav. utatur verbo præsumere, ait cum Sanch. Castrop. l. c. multòque magis, si matrimonium nullum fuisset, aut etiam Ordo susceptus, v. g. ab Episcopo non habente intentionem.

Quæst. 302. Qualiter conjux innocens intentans judicialiter divortium procedere debeat.

R Esp. Primò: Conjugi innocenti adversus conjugem adulterum conceditur actio duplex, civilis & criminalis. Castrop. l. c. §. 5. n. 1. cum communi. Civilis est, quæ ad separationem thori, mutuaque habitationis & amissionem dotis tendit. Criminalis, quæ ad pœnam san-

guinis. Actio civilis utrique conjugi competit, & unius delictum alterius delicto compensatur. Criminalis actio solum competit marito adversus uxorem, non contra, ut expresse statuitur L. 1. c. ad Leg. Jul. de adult. adeoque marito criminaliter accusante uxorem de adulterio, uxori non licet opponere exceptionem adulterii mariti; quia in hac actione non sunt pares, neque in illis, quò ad dictam pœnam admittitur compensatio delicti juxta dicta supra; ita ferè Castrop. l. c.

2. Resp. Secundò: Maritus ad pœnam sanguinis accusans uxorem, necessariò actionem instituere debet coram Judice sæculari, qui solus est competens ad pœnam sanguinis irrogandam. c. sententiam, ne clerici vel monachi. ab accusante verò ad alias pœnas coram Judice ecclesiastico vel sæculari actio intentari potest, locusque est preventionis, quia uterque competens est; siquidem adulterium est injuria irrogata Sacramento matrimonii, cujus punitio utrique huic Judici competit, ut Abb. in c. tua. de procur. n. 6. Covar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 7. n. 10. Clarus L. 5. recept. sent. §. fin. q. 37. n. 3. Sanch. L. 10. d. 8. n. 16. Castrop. l. c. n. 2. Procedens verò civiliter, quò ad divortium & amissionem dotis, necessariò coram Judice ecclesiastico debet intentare actionem; eò quòd, dum agitur de obligatione matrimonii dissolvenda, solus Judex ecclesiasticus est competens. Jul. Clar. l. c. Covar. l. c. n. 8. Germ. de Sacror. immun. c. 12. num. 56. Sanch. num. 15. Castrop. num. 3.

3. Resp. Tertio: Intentata actione civili nequit conjux transire ad criminalem, non solum quando pendet unius actionis judicium, ut deciditur. L. unic. c. quando civil. act. crim. præjud. sed etiam eò judicio finito; eò quòd in hac causa divortii utrumque judicium ad idem tendit, scilicet ad punitionem adulterii, vel privando illum potestate petendi debitum, dotisque amissione, vel pœnam mortis imponendo, quo casu una actio alteri præjudicat, ut Gl. in cit. L. unic. v. de re familiari. Abb. in c. tua. de procur. num. 5. Sanch. l. c. n. 9. Castrop. n. 4.

4. Resp. Lite sive criminali, sive civili pendente, alimenta & litis expensæ ministrandæ sunt, non tantum quando uxor divortium contra virum adulterum intentat, quod certum est. Gutt. 99. can. c. 24. n. 7. Sanch. cit. d. 8. n. 28. Castrop. n. 5. sed etiam, quando contra illam intentatur divortium à viro; cum lite pendente nihil sit innovandum, idque etiam si adulterium sit notorium. Castrop. citatis Caval. in 99. comm. g. 734. à n. 8. Farinac. Tom. 4. q. 143. n. 43. Sanch. ubi ante. Addit tamen Castrop. cum Sanch. & Farinac. l. c. in foro conscientia ad ea alimenta & impensas ministrandas non teneri virum, si certus sit de uxoris adulterio; quin neque in foro externo tenetur uxori fugitivæ à domo ob timorem se male à viro tractandam causâ adulterii suspicari. Castrop. cit. n. 5. Farinac. n. 45.

Quæst. 303. An lata sententia divortii, nocens obligetur reconciliari innocenti, quando ipse vult, vel liberum sit Ordines suscipere, vel religionem ingredi, vel votum castitatis emittere, innocente inconsulto, vel etiam invito.

R Esp. Non convenire in hoc AA. plures apud Sanch. L. 10. d. 10. n. 2. & 10. id negant; eò quòd

èd quòd etsi sententia divortii feratur in favorem innocentis, quatenus ei concedit optionem discedendi à conjugè nocente, aut ei se reconciliandi, cedat tamen etiam indirectè in favorem nocentis, dum eo ipso, quòd innocens eligat divortium, rednuatque nocentis societatem, nocens excusetur & solvatur à debito conjugali, quo innocenti obstrictus erat. Affirmant è contra verius & probabilius Gl. in c. ex literis. h. t. v. redire. Felin. in c. Lator. de sent. & re judic. declar. 8. n. 9. Barb. Rub. ff. soluto mar. 2. p. n. 22. in fine. D. Tho. in 4. d. 35. q. unic. a. 6. ad 3. S. Bonav. ibid. a. unic. 9. 5. Sanch. l. c. n. 3. Ponc. L. 9. c. 19. à n. 1. & plures alii, quos citat & sequitur Castrop. tr. 28. d. 3. p. 7. §. 7. n. 1. èd quòd sententia divortii non plus juris concedat innocenti vel nocenti, quàm quod jure naturali eis competit ob adulterium commissum; cum sit illius juris naturalis declaratoria, adulterium autem non eximat nocentem ab obligatione reddendi debitum & cohabitandi innocenti, si is velit, ne aliàs ex suo delicto adulter reportaret commodum. Nihilominus quandoque per accidens excusari nocentem ad consortium innocentis redire, advertit cum Gutt. de masrim. c. 129. n. 14. Castrop. l. c. n. 3. sic v. g. uxor separata à viro ob adulterium suum rarè compelli potest ad consortium viri redire ob timorem, quem rationabiliter habere potest mortis sibi inferendæ, vel iniquæ tractationis & magnæ sævitæ. Porro hæc obligatio nocentis non mutandi statum durat, quamdiu spes est reconciliationis; cessat, hæc spe cessante; quia autem hæc spes deficere censetur in sequentibus casibus, poterit nocens in iis mutare statum. Sic primò poterit uxor, latà sententiã de ejus adulterio, aut eo notorio detrusa in monasterium pœnitentiæ agendæ gratiã profiteri, si viream intra biennium reclusionis non repetat, cum ea repetitionis omissione consentire censetur vir ingressui jure sic disponente. Auth. sed hodie. Cod. ad Leg. 7. n. de adult. cujus dispositione jure canonico correctam non esse, advertunt Abb. in c. gandemus. h. t. n. 7. Host. n. 3. Jo. And. n. 3. Ponc. l. c. n. 3. Sanch. l. c. n. 8. Castrop. n. 2. Secundò si conjux adulter emendatus sæpe reconciliationem petivit, & innocens negavit, poterit dicto modo mutare statum suum; cum ea denegatione innocens tacitè dicat, se nolle ei unquam reconciliari; adeoque hæc spe sublata, justè & rationabiliter velle non potest, ut nocens semper de suo statu suspensus existat. Sanch. n. 8. & 16. Ponc. n. 4. Castrop. l. c. Laym. L. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 12. Tertiò dum innocens Ordines suscepit, vel religionem professus; èd quòd tunc elegerit statum usui matrimonii oppositum. Sanch. n. 6. Ponc. n. 2. Castrop. l. c. Sylv. v. divortium. q. 10. Idemque esse, ait Palacius, in 4. d. 35. q. unic. du. 2. dum innocens emisit votum simplex castitatis; eo quòd is tunc debitum petere impediatur, & iniquè petenti debitum nulla sit obligatio illud reddendi in plurium sententia. Verum id ipsum negant Sanch. Ponc. Castrop. LL. cit. èd quòd per hoc innocens non cesserit juri justitiæ, quod habet exigendi debitum ab alio conjugè, neque in illius favorem abstinere promisit à petitione debiti, sed tantum in honorem Dei. Ad hæc votum illud castitatis etsi excuset à petitione & redditione debiti, non tamen impediatur extra thorum mutuam cohabitationem & obsequiorum communicationem; adeoque possit innocens voto castitatis obstrictus conjugem nocentem repe-

R. P. Lenz. Jur. Can. Lib. IV.

tere, & compellere ad cohabitandum, sed neque in hoc casu, nimirum innocente recipiente ordinis aut proficiente in religione, nocens tenebitur quoque religionem profiteri, aut etiam in sæculo continentiam vivere; cum jura id requirementia loquantur in casu, quo matrimonium illæsum perseverat, non in casu divortii perpetui. Laym. cit. n. 12. Sot. in 4. d. 36. q. unic. a. 5. ad 3. Castrop. n. 4. Sanch. cit. d. 10. concl. 4. n. 15. Cönnick. d. 35. du. 5. initio concl. 1.

Quest. 304. An factò divortio propria autoritate, vel per sententiam pars innocens teneatur nocenti reconciliari; an verò possit pro libitu suscipere Ordines, aut religionem ingredi.

1. Resp. Ad primum: Innocentem recedentem à nocente posse, rebus in eodem statu permanentibus, eidem reconciliari, factò etiam divortio per sententiam; cum per sententiam innocens jure suo privari nequeat, ne aliàs exceptio rei judicatæ proficeret reo, contra quem lata fuit, quod iniquissimum dicit. L. evidenter. ff. de except. rei judic. Laym. l. c. n. 16. & AA. mox citandi; non tamen teneri ad hoc, etiamsi nocens sit emendatus, cum adulterium sit causa perpetui divortii. Sot. d. 39. q. unic. à 3. concl. 3. S. Bonav. in 4. d. 32. a. 1. q. 5. Laym. l. c. Ponc. l. c. n. 9. Castrop. l. c. p. 6. §. 6. n. 1. & apud hunc plures alii. Dum igitur c. ego dixi. 34. q. 1. dicitur: Si vir non receperit uxorem suam pœnitentem, peccat, & magnum peccatum admittit: intelligendum id est, si id faciat ex odio, non verò purè utendo jure divortii; vel etiam dum conjux versatur in periculo incontinentiæ, si non recipiatur; tenebitur enim tunc ex caritate eam recipere. Laym. Castrop. LL. cit. alii verò textus, ut c. si vir. de adult. ubi: quòd si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere pœnitentem: loquuntur de debito honestatis & æquitatis, non verò legis & præcepti. Castrop. ibid. hinc infero, &

2. Resp. Secundò: Possit innocentem non reconciliatum nocenti assumere Ordines factò divortio per sententiam, vel religionem ingredi, vel votum castitatis emittere, absque eo, quòd nocens emendatus possit eum repetere; amisso enim à nocente ob adulterium jure exigendi debitum & mutuam cohabitationem, innocens ab omni conjugali debito liber efficitur, D. Thom. in 4. d. 35. q. unic. a. 5. ad 3. ab omnibus, ut inquit Castrop. receptus, juxta quod expresse statuitur c. Agatbosa. 27. q. 2. & c. constitutus. c. veniens. de convers. conjug. Dixi: Factò divortio per sententiam; nam si ob adulterium occultum discesserit, etsi validè uocente invito assumat ordines, vel profiteatur religionem, illicitè tamen id præstat; cum possit à nocente petente restitutionem revocari, cedente hoc ipso in grave ordinis & religionis assumptæ detrimentum & proximorum scandalum; quin etiam adulterio notorio, non expectatà Judicis sententiã id faceret, adultero invito, peccaturum illum graviter; èd quòd probabile sit, ante sententiam divortii latam conjugem etiam ex causa notoria spoliatum restituendum; ita cum Sanch. L. 10. d. 11. à n. 12. tradit Castrop. l. c.

3. Resp. Tertiò: Tenebitur innocens reconciliari nocenti, uti & dotem, omniãque alia restituere,

X

tuere,

tuere, si deprehendat sententiam divortii, utpote latam ex falsa præsumptione, fuisse nullam; cum ea non potuerit transire in rem judicatam. Castrop. *l. c. n. 6.* cum communi, qui idem esse affirmat de eo, qui ipse quoque ante sententiam divortii commisit adulterium; unde spoliatus, si de nullitate sententiæ aliunde constaret, posset nullo petito beneficio restitutionis contra illam reclamare, & Juxta annuere debet. Si autem de errore sententiæ aliunde non constet, petito beneficio restitutionis ex clausula generali: si quæ mihi justa causa subest. *L. 1. §. fin. ff. ex quibus caus. major.* quod beneficium ei necessariò concedendum, ut Gutt. *de juram. p. 3. n. 8.* Cavall. *in qq. pract. q. 542. n. 3.* Extenditur responsio, ita ut procedat, licet is, in cuius favorem divortium celebratum, sit initiatus Ordinibus, aut professionem fecerit, cogendus adhuc sit, cum conjugate spoliato habitare, utpote cuius juri quæsitio illa statim mutatio præjudicare non potest. D. Thom. *l. c. Sylv. v. divortium. q. 21. num. 24.* Sanch. *L. 10. d. 9. n. 9.* Ponc. *L. 9. c. 20. n. 2.* Castrop. *n. 7.* quin &, licet non repetatur à conjugate spoliato, poterit ipse secluso scandalo religionem deserere, utpote cuius professio fuit nulla, nimirum obstante debito conjugali, cui obstrictus erat Sanch. Ponc. Castrop. *LL. cit.* His non obstante Trid. *sess. 25. de regul. c. 19.* damnante Apostatas, qui ex qualunque causa habitum dimitunt; cum intelligendum sit de iis, qui sponte habitum dimitunt, non de his, qui ex obligatione id faciunt, qualis est conjugatus, qui ex obligatione conjugii habitum dimittit. Ponc. Castrop. *LL. cit.* Quamvis autem, dum uterque conjux credens, divortium esse legitime factum, mutavit statum, Sanch. *cit. d. 9. n. 23.* putet, neutrum posse alterum repetere; eò quod is, in cuius favorem factum divortium, ingrediens religionem, vel ordines assumens cessit, quantum in se est, juri exigendi debitum, quæ cessione facta, alter quoque ingrediens religionem nullam ei facit injuriam, ac ita tenet professio. Contrarium tamen, nempe neutrius professionem valere, & quemlibet posse alterum repetere, sentit Castrop. *n. 8.* citans Rosell. *v. divortium. n. 2.* Asterium. *L. 8. p. 2. tit. 34. a. 2. q. 5.* eò quod spoliantis professio, utpote facta sine legitimo spoliati assensu, nulla est, ac si sententia divortii, utpote nulla, non fuisset lata; adeoque & professio spoliati nulla sit; quia facta in præjudicium spoliantis integrum jus conjugale retinentis, cui ex errore cessit, ideoque nec cedere potuit.

4. Resp. Quartò: Si post sententiam divortii latam, antequam tamen hæc transierit in rem judicatam, eò quod appellatum, vel necdum elapsu in tempus aliàs concessum ad appellandum, vel etiam si lata adversus minorem, qui beneficio restitutionis uti potest, innocens quoque incideret in adulterium, absque dubio debere illum reconciliari conjugidimisso, nec posse, etiam si adulterium sit occultissimum, prosequi divortium; cum æquè reus sit, & delicta compensata sint, tenent Sanch. *cit. d. 9. n. 30. in fine.* Ponc. *L. 9. c. 20. n. 3.* Castrop. *n. 9.* Laym. *n. 14.* qui tamen hanc adjicit exceptionem: modò etiam alter paratus sit se emendare. Si verò admissum adulterium, postquam sententia divortii transiit in judicatum, adeoque postquam plene absolutus fuerat à societate thori & habitationis, non esse adhuc obligatum in conscientia reconciliari dimisso, eumque reassumere, tradunt cum D. Thom. *l. c. a. 6. ad 4. & Abb. in c. tua fraternitas. de adultr. n. 4.* Henriq. *L. 11. c. 17. n. 3.* Sanch. *cit. d. 9. à*

n. 30. Laym. *l. c.* citans insuper Mol. *d. 7. § 7. tr. 3 d. 95. n. 5.* Coninck. *d. 35. du. 2. n. 13.* alique plures gravestam Theologi, quam Canonista. Quamvis dicant iidem AA. reconciliandos illos esse officio Judicis, si periculum incontinentiæ subsit. Fundamenta hujus sententiæ vide apud Castrop. *cit. §. 6. n. 10.* Nihilominus contrarium sentit ipse Castrop. *n. 11.* citans Gl. *in c. ex literis. h. t. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 6.* Nav. *L. 1. consil. conf. 1. de divort. n. 2.* Ponc. *L. 9. c. 20.* & alii plures apud Sanch. *l. c. n. 17.* censentem, hanc quoque sententiam esse valde probabilem. Fundamentum illius est, quod sententia divortii ob adulterium ab altero conjugate commissum non concedit innocenti jus ab eo discedendi, sed jus naturale, quod ex adulterio acquisivit, declarat, ut eo publicè uti possit; sed jus hoc innocenti acquiritur, dum innocens est; ergo factò eò jam etiam nocente, cessat illud jus; adeoque obligatus est ei reconciliari, sicut ad hoc obligaretur, si adulterium ante latam sententiam commisisset, redeunte nimirum ista obligatione, quæ desierat, quamdiu innocens remanebat; quemadmodum servitus semel extincta non redit, nisi ex nova causa denuo contrahatur, uti contingit, dum servus manumissus denuo iusto bello capitur. Sed neque huic sententiæ obstare videtur, quòd sententia lata divortii in odium rei, & in favorem innocentiæ jam semel transierit in rem judicatam; transiit enim in rem judicatam rebus in eodem statu permanentibus, secus, dum innocens factus quoque est reus; & hanc conditionem tacitè in sententia divortii imbibit, ait Castrop. eò quòd contractus matrimonialis jure naturali exigat, ne innocens à nocente discedat, nisi dum manserit innocens. Sic quoque, quòd semel rectè definitum est, etiam retractari nequeat, rebus & causis, ex quibus definitum, sic stantibus, potest tamen ex nova causa superveniente retractari. Quamvis dicat Castrop. hanc non tam esse dicendam prioris sententiæ retractionem, quam novam decisionem. Item licet exceptio rei judicate nocenti oblet, quò minus in dubium revocare possit sententiam latam; non tamen obstat, quò minus ob supervenientem novam causam litem intenter, & novam sententiam exigat. Ac denique sententia divortii lata impedire nequit, quò minus adulterium postmodum ab innocente commissum nocenti seu dimisso sit injuriosum; cum sententia lata licet, eximat innocentem à redditione debiti, & mutua cohabitatione, non tamen eximat à debito, quo omnis conjugatus attingitur non commiseri aliis; foveret enim aliàs crimina. Quòd si tamen post sententiam latam, quæ transiit in rem judicatam, innocens sacros Ordines suscepit, vel religionem ingressus est, & dein adulterium committat, uxori nequaquam reddendus est; eò quòd jus, quod Ordo & Religio validè & legitime suscepti acquisiverunt, non possit proprio delicto infringi. Castrop. *num. 13.* Ponc. *L. 9. c. 20. num. 7.* Con. *d. 35. du. 2. num. 16.* Secus, si religionem ingressus, antequam sententia transiit in rem judicatam.

Quæst. 305. Apud quem conjugum manere debeant, & cujus expensis educendi filii factò divortio.

1. Resp. Primò: Jure antiquo codicis spectabat ad Judicem arbitrari, apud quem solus dissoluto matrimonio alenda, regulariter autem arbitrabatur Judex, *L. nec filium. c. de parria, potest.*

potest; primo triennio prolem alendam apud matrem, ac deinceps apud patrem. Jure verò civili novo authenticarum constitutum, ut, si pater causam dedisset divortio, proles communes utriusque conjugum alentur expensis patris apud matrem, dum hæc ad secundas nuptias non transit; (ubi notandum, loqui illa jura de divortio factò etiam quò ad vinculum conjugale, quod permittebatur quandoque ex causa maximè adulterii; uti & hodieum Græci ob eam causam permittunt transire ad secundas nuptias, teste Bellarm. de mat. c. 15. ad initium, errore hoc correcto per Ecclesiasticam jurâque ecclesiastica) & è contra, si causa divortii fuisset mater, apud patrem expensis matris, nisi fortè pater minùs idoneus esset ad alendas & educandas proles, tunc enim apud matrem locupletem educendæ. *Amb. si pater. divortio factò, apud quem liberi morari & educari debent.* Atque generale est illud, quòd liberi apud patrem innocentem expensis patris nocentis ali & educari debeant; adeoque non minùs apud patrem innocentem expensis matris nocentis, quàm apud matrem innocentem expensis patris nocentis; eò quòd, cum mater sit correlativum patris, & quòd dispositum de uno correlativo, etiam dispositum censeatur de altero, dum eadem militat ratio, quæ in præsentem est culpa delinquentis inducens obligationem hanc alendi propriis expensis prolem, longè diversam ab obligatione, quæ aliàs jure communi inest parentibus, nempe ut mater solo triennio teneatur præbere alimenta filio, ac deinceps pater. *L. Nescimus. L. si quis à liberis. ff. de liber. agnos. hoc, inquam, pro ut cit. Amb. textus indicat, ternas patitur limitationes.* Prima, quòd etsi pater dederit causam divortii, dum tamen mater innocens transit ad secundas nuptias, non apud hanc, sed apud eum, quem Judex arbitrabitur, expensis patris, si dives est, alenda est. *Castrop. l. c. p. 6. §. 10. n. 3. citato Sanch. L. 10. d. 20. n. 4.* Secunda, si pater innocens est pauper, adeoque minùs ad hoc idoneus, & mater nocens dives, apud hanc alendi ejus sumptibus filii. *Castrop. Saanch. LL. cit. Laym. l. c. n. 19. Pith. b. 1. n. 63.* Tertia si conjux nocens, seu qui dedit causam divortio, sit fidelis, & alter conjux infidelis, non huic, sed fideli nocenti proles alenda tradi debet in favorem fidei. *Castrop. Sanch. Laym. Pith. LL. cit. juxta quòd hoc ipsum indicatur cit. Amb. his verbis: si minus idoneus est.* Porro extendi non debet hæc dicta *Amb.* decisio ad divortium iniquè & contra ordinem juris factum, cum expressè loquatur de divortio legitime factò, & pœnæ extendendæ non sint ultra casum in lege non comprehensum.

2. Resp. Secundò: Si divortium factum neutrius culpa, v. g. mutuo utriusque consensu: vel utriusque culpâ, v. g. dum unus eorum commisit adulterium, alter de hæresi damnatus est, servandum est jus commune (quòd hoc in puncto nulla alia lege mutatum reperitur) nempe *L. nec filium, c. de patria potest.* quâ statuitur filios minores triennio apud matrem, majores apud patrem ejusque sumptibus alendos, nisi Judex aliud fuerit arbitratus, juxta *L. unic. c. de divortio factò,* censent *Sanch. d. 10. n. 10. Castrop. n. 6.*

3. Tertio: Divortio factò non tantum quòd ad thorum & habitationem, sed etiam quòd ad vinculum, nimirum ubi matrimonium contractum cum impedimento dirimente, filii utriusque conjugis impensis alendi. *Arg. c. 2. qui filii sint legit.* idque sive sint minores, sive majores triennio; eò quòd,

R. P. Lew. Jur. Can. Lib. IV.

dum uterque conjux processit bona fide, æquum non sit, unum eorum amplius gravari quàm alterum, & *Lex Cod.* statuens minore triennio matris, & majores patris expensis esse alendos, expressè loquatur de conceptis ex legitimo matrimonio. *Sanch. l. c. n. 11. Castrop. n. 6. citans Surdum de aliment. tit. 1. q. 24. & tit. 7. q. 13. n. 18.*

Quest. 306. Factò divortio quò ad thorum & habitationem an & à quo præstanda alimenta uxori.

1. Resp. Primò: Præterea, quæ dicta de præstandis alimentis uxori pendente lite divortii, in foro externo ante sententiam de adulterio uxoris non permittitur vir ei negare alimenta; eò quòd, licet innocens propter adulterium possit nocentem privare omni jure maritali factò divortio per sententiam, cum tamen ea privatio sit pœna, & hæc requirat sententiam, saltem declaratoriam criminis in foro externo, ut *Sanch. cum communi. L. 10. d. 8. n. 13.* non poterit justè alimenta negare.

2. Resp. Secundò: Divortio jam factò non culpâ uxoris, sed viri, etiam si dotem non attulerit, vel illi placuerit potius ali à viro, quàm sibi dotem concedi, deberi illi alimenta præstari, tametsi aliunde habeat, unde vivat, astruit *Castrop. cit. §. 10. n. 1. citatis Farinac. q. 143. §. separatio thori. n. 46. & seq. Matth. de Afflictis. dec. 10. n. 1. & 3. Gutt. de Mat. c. 129. n. 24. & seq.* eò quòd justum sit nihil ei detrahi ex fructibus, quos illa sò matrimonio perceptura erat, dum nuliam in separatione culpam habet.

3. Resp. Tertio: Teneri quoque virum præstare alimenta uxori adulteræ, facta separatione thori, sentit *Jul. Clar. L. 5. §. adulterium. vers. factò autem.* apud *Krimer. in 4. decret. in 1605.* & plures apud *Sanch. L. 10. d. 8. n. 23.* satis probabiliter, ut inquit *Castrop. l. c. §. 6. n. 4.* eò quòd per divortium non desinat esse uxor, maximè dum vir inde occasionem dedit adulterii, ejiciendo illam ex domo, vel crudeliter tractans. Hoc ipsum admittit apud eundem *Rosell. v. divorcium. num. 11. Fabien. q. 11. n. 12.* dum vir eandem rejicit propter adulterium non notorium, non tamen propter notorium, ut *Surdus de alimentis. tit. 1. q. 118. n. 5. & tit. 7. q. 16.* & absolute tanquam verius tenet *Castrop. l. c.* cum *Sanch. n. 25. & seq.* id multis approbante *Gutt. de mat. c. 129. n. 23. Farin. Tom. 4. q. 143. n. 41.* nullam esse obligationem marito præbendi uxori adulteræ alimenta; quia ob adulterium ab omni debito conjugali est absolutus. Quin etiam neque in foro conscientia, neque externo teneri virum subministrare alimenta uxori è domo sua fugienti ob timorem, quem habet, se male tractandam à viro causâ adulterii suspicari; cum vir non teneatur extra domum suam uxorem alere, quando ipse causam recessus non dedit. *Castrop. §. 5. n. 5. citatis Gutt. de mat. c. 128. n. 21. & Farin. l. c. n. 45.*

Quest. 307. Factò divortio quò ad thorum, an & qualiter restituenda uxori dos & bona parapherna.

1. Resp. Primò: Dos (quo nomine hic venit omne illud, quòd marito ratione matrimonii ad ejus onera sustinenda datur, vel promittitur sive ab aliquo ascendente, vel intuitu patris, quæ dicitur dos profecticia, sive ex bonis propriis uxoris, vel extranei sine respectu ad patrem, & dicitur dos adventitia) restituenda est

X 2

da est

da est uxori, si non culpâ uxoris, sed viri factum est divortium. Castrop. l. c. juxta c. 1. de donat. inter virum & uxorem. & Abb. ibi. & Bald. in c. 1. ut lite non contest. Insuper illi medietas lucrorum usque ad divortii tempus. Gutt. l. 1. can. 99. c. 24. num. 14. Covar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 1. num. 6. Castrop. l. c. juxta c. significavit. de donat. inter vir. & uxorem. juncta Gl. quin & omnium lucratorum à viro post factam separationem medietatem deberi in hoc casu uxori non secus, ac si nulla facta separatio, censent Covar. & Gutt. ex acquisitis vero ab uxore post separationem vir nocens nihil habet. Gutt. l. c. c. 24. num. 16. Bald. in L. si uxor. c. de conditionib. insert. num. 6. Castrop. l. c. Si verò culpâ uxoris accidit divortium, & ea est adulterium, neque dos, neque pars ulla acquisitorum usque ad divortium, & acquirendorum à marito post illud est ei restituenda, quin etiam obligatur communicare viro, quidquid acquirit post separationem, Gutt. l. c. num. 17. & seq. Castrop. l. c. num. 2. de quo tamen postremo, nimirum de acquisitis ab uxore vide dicenda ex professo *respons. seq.* Proceditque id ipsum, si culpa uxoris, ob quam factum divortium, fuit savitia illius, imò quodcunque delictum inducens divortium, ne alias vir innocens dotis administratione & fructu, quem haberet non facto divortio, privaretur sine culpa. Sanch. l. 10. d. 4. num. 20. & d. 20. num. 7. Castrop. l. c. cum communi & juxta c. plerumque de donat. inter vir. & uxorem. sine ulla limitatione statuens, uxorem amittere dotem, si ejus culpâ fiat divortium, contra Ponc. l. 9. c. 23. num. 12. sententem amissionem dotis soli adulterio annexam esse.

2. Extenduntur hæc ipsa quò ad amissionem dotis facto divortio ob adulterium uxoris, sive ea sponte recessit ab innocente metu pœnæ ob commissum adulterium, sive judicio Ecclesiæ; nec ei reconciliatus est; ut expressè habetur *cit. c. plerumque*. quin & extendunt hæc aliqui cum Covar. de sponsat. p. 2. c. 7. §. 6. num. 1. Clarus §. adulterium. num. 14. apud Krimer. de matrim. num. 1594. ad casum adulterii uxoris putatitiæ, ubi nimirum ob latens impedimentum matrimonium nullum est; eò quòd etsi hoc casu absit injuria in re, non tamen absit in affectu adulteræ manifestato sufficienter, ut subsiciatur pœnis juris humani; quamvis hoc ipsum limitet Sanch. *cit. d. 8. num. 7.* ut procedat, si tale matrimonium celebratum in facie Ecclesiæ, & viro obtentâ sententiâ dos applicata sit propter *reg. res judicata. ff. de reg. jur.* Secus ante sententiam; quia cum verè non fuerit adulterium, viro contra mulierem, quæ nullitatem matrimonii allegat, sententia non debet pro jactura dotis.

3. Limitantur è contra primò, ita ut vir obligatus sit restituere uxori dotem, à qua se propria autoritate separavit ob adulterium; cum uxore dotem perdere non possit, quousque per sententiam ad illius privationem damnata est. Castrop. §. 7. num. 7. cum Covar. l. c. eò quòd amissio dotis sit pœna adulterii, lata in *cit. c. plerumque*. & L. consensu. c. de repudiis: reus autem pœnam subite non tenetur, quousque sententia saltem declaratoria criminis accedat. Atque ita verius existimat Castrop. l. c. num. 7. cum Abb. ad c. plerumque. Syl. v. adulterium. q. 6. Angelo & c. virum propria autoritate ab uxore adultera non posse ante sententiam divortii dotem retinere,

etsi uxori dotem repetenti exceptionem adulterii opponere potest, ne isti concedatur, sed sibi applicetur. Secundò; ita ut amissioni dotis non sit locus, ubi reus post divortium innocenti est reconciliatus, prout dicitur *cit. c. plerumque*. Tertio, si etiam alter commisit adulterium, (intellige post factum divortium, si enim ante illud commissum, non est divortio locus) tunc enim fit compensatio, adeoque in eo casu adulteræ conceditur actio ad dotem recuperandam; quia lucrum, quod accreverat innocenti ex alterius delicto, sublatâ jam ejus innocentia per similem lapsum, cessat quò ad jus retinendi, saltem si de hoc illius lapsu quoque constat. Proceditque id ipsum etiam, dum innocens post sententiam divortii latam, quæ transit in rem judicatam, lapsus est in adulterium in sententia eorum, qui docent in eo casu teneri virum reconciliari uxori, & cum ea reintegrare matrimonium; ita expressè Castrop. §. 6. num. 14. Ponc. l. 9. c. 20. in fine. in sententia verò negante, in hoc casu debere adulterum reassumere adulteram, solùmque concedente Judici potestatem compellendi hos conjuges ad reconciliationem ob periculum incontinentiæ, Sanch. negat teneri adulterum restituere adulteræ dotem; eò quòd instauratio illa matrimonii ob periculum incontinentiæ facta ex mandato Judicis optime consistere possit, quin dos reddatur. Censet nihilominus Castrop. *cit. num. 14.* quòd cum ad conjugalem amorem fovendum matrimonio instaurato, expediens sit, dotem reddi uxori, Juxta ob hanc rationem, quin & in pœnam delicti de novo commissi ex officio compellere possit ad eam reddendam non secus, ac ob vitandum periculum incontinentiæ in hoc casu compellere eos potest ad mutuam cohabitationem. Quòd verò addit Sanch. d. 9. num. 36. quòd si ante sententiam vir paciscatur cum uxore adultera de lucranda sibi dote ob desistentiam ab accusatione criminali, si ipse postmodum incidat in adulterium, obligatum esse restituere dotem; eò quòd delicta tunc compensentur, & prædictum pactum tacite imbibat hanc conditionem: nisi delictorum compensatio fiat; id, inquam, sibi non placere, ait Castrop. num. 15. eò quòd etsi ea delicta compensentur, quò ad accusationem civilem divortii, compensationem tamen criminalem non admittant, ut Cenedo. in collectan. juris coll. 166. n. 4. & aliis; cum mulier non possit accusare virum adulterum, vir tamen adulter possit criminaliter accusare mulierem adulteram juxta l. 1. c. ad Leg. Jul. de adulter. neque mulier accusata de adulterio se tueri possit exceptione adulterii mariti; ut Covar. l. c. n. 5. & ipse Sanch. l. 10. d. 8 à n. 33. adeoque jam, si vir ab accusatione criminali (quam etiam postquam ipse lapsus in adulterium instituire posset, ac si adulterium non commisisset) desistat, prædictum pactum firmum persistat, & dos uxori non reddenda. Porro quæ sit accusatio civilis, quæ criminalis in hac materia, vide *supra q. 301.* Quartò, si mulier per vim præcisam oppressa; secus si per vim conditionatam, seu per metum extorta copula; & in summa dictæ amissioni dotis locus non est ob adulterium (idem est de alio delicto) ubi non fuit sufficiens ad faciendum divortium.

4. Resp. secundò: Bona paraphernalia seu parapherna (qualia sunt, quæ uxor jam dotata habet

bet præter dotem, aut acquirit in suos usus, V. G. donatione, jure hæreditario, sic dicta tanquam præter dotalia) amitti quoque factio divortio, censet Jul. Clar. l. 5. *sentent. §. adulterium. num. 15.* cum Gl. in c. *plerumque. de donat. inter virum & uxorem. v. dotalium*, eò quod putent per dictum verbum *dotalium*, quod prohibetur in *cit. c.* repetere uxor adulterans, intelligi velint hæc bona paraphernalia. Contrarium sentiunt alii, eò quod velint cum Sanch. l. 6. *de matrim. d. 1. num. 1.* non intelligi hæc bona, sed donationem ad nuptias vel sponsalitiæ largitatem, quæ sit à sponso sponse ob spem futuri matrimonii; vel prout *l. c.* insinuat Sanch. quem sequitur Engels. *b. t. num. 15.* donationem, non ad, sed propter nuptias. Hinc

5. Resp. tertio: Donationem propter nuptias (quo nomine Haunol. *Tom. 1. tr. 4. num. 346.* intelligit contra dotem, datum in assecurationem dotis; vel etiam quod pragmatici vocant *diarium*, nimirum pars bonorum mariti ex consuetudine, vel conventionem mulieri assignata, ut eam habeat pro dote obligatam, & post mortem viri eam lucretur quò ad proprietatem vel usumfructum: ac denique quod venit nomine arrhæ seu morgengabæ) amittit maritus adulter (apud quem aliàs manet dominium naturale contradotis, quemadmodum dominium naturale dotis manet apud uxorem, si viro non dederit ademptionem) eamque lucretur uxor innocens, ut habetur *l. consensu. §. si qua igitur, & §. si vir causam. c. de repudiis. aub. ut liceat mariti. §. quia plurimas.* E contra non minus donationem ad nuptias, quam dotem amittit uxor adultera. Porro circa hæc notandum, quod, si uxor & maritus habent liberos ex eodem vel alio matrimonio, nec maritus innocens lucretur dotem sibi, nec uxor innocens donationem propter nuptias, sed illa reserventur liberis adulteræ post mortem uxoris, viro, dum vivit, habente usumfructum spectato jure communi; ut Barth. in *l. 2. p. 1. n. 66. ff. solut. matrimonio.*

Quest. 308. Coram quo Judice tractanda causa divortii, maxime quò ad vinculum conjugale.

1. Resp. primò: Cum certum sit ex dictis, non posse fieri separationem, quò ad vinculum matrimonii, etiam dum impedimentum dirimens, adeoque nullitas matrimonii est notoria, sine sententia Judicis, tamen in hoc casu, etiam dum unus conjugum certo scit tale impedimentum, possit sine ulla sententia Judicis, quin & debeat, se separare ab altero quò ad thorum juxta *c. Inquisitioni. de sent. excom.* item dum impedimentum dirimens notorium non est, nec in continente probatur à spoliante, restituendus sit per Judicem. In his & aliis causis concernentibus valorem matrimonii, ejusque dissolutionem quò ad vinculum, Judex alius esse nequit quam Ecclesiasticus, & in foro Laico seu sæculari hæc causa tractari nequeunt, juxta illud: Laicis nulla est de spiritualibus disponendi facultas, *c. tua. de decimis.* jam verò causæ matrimoniales, in quantum concernunt valorem, firmitatem, licetatem, dissolutionem sunt spirituales; cum matrimonium fidelium sit Sacramentum. Neque his obstat, quòd matrimonium sit quoque contractus civilis; non enim est contractus merè ci-

vilis, sed elevatus ad rationem Sacramenti. Quemadmodum materia Sacramentorum aliarumque rerum sacrarum secundum se est res temporalis, corporea & materialis, accessione tamen consecrationis formæ Sacramentalis, unctionis, benedictionis per potestatem Ecclesiasticam ordinatæ ad finem supernaturalem, sic evadunt spirituales, ut sint extra omnem potestatem & commercium Laicorum. Neque obstat directè responsioni, quòd Judex Laicus cognoscere possit, an causa allata divortii faciendi existat; nam hoc permisso, cum sit quæstio matrimonialis quidem, sed meri facti (qualis est & ea, an matrimonium sit contractum; an contractum in facie Ecclesiæ vel clam) de quæstionibus autem similibus meri facti potest cognoscere Judex sæcularis, nisi resolvantur in quæstionem juris (v. g. si quaratur de sensu canonis seu legis ecclesiasticæ; quid sit matrimonium clandestinum) cum sint fori mixti, adeoque sit locus præventioni, quales etiam sunt, dum agitur de punitione adulterii, incestus aliorumque criminum, quæ sunt contra sanctitatem matrimonii; ita ferè Krimer. *num. 1509.* cum Tanner. *Tom. 4. d. 8. du. 9. à num. 166.* Non tamen sequitur adhuc, quòd possit cognoscere de sufficientia dictæ causæ, utpote quæ non est quæstio meri facti. De cætero Judicem Laicum autoritate sua citantem, vel examinantem causam istiusmodi separationis, ac separatam conjuges, incurrere excommunicationem in Billa Cænæ latam contra usurpantes jurisdictionem ratione beneficii extensam ad omnem usurpationem jurisdictionis Episcopalis quæ talis, ait Krimer. *num. 1512.* citans Filiuc. *tr. 13. c. 8. num. 218.* usurpare autem jurisdictionem alienam est illam sine justo titulo sibi appropriare exercendo illius actus, vel de objecto ejus proprio disponere; jam verò jurisdicctio & potestas dirimendi matrimonia invalida est jurisdicctio propria Episcopi quæ talis, & actus citandi & juridicè examinandi ad cognoscendum de impedimento matrimonii contracti, vel contrahendi sunt quoddam initium judicii super valore matrimonii dissolvendi aut impediendi; adeoque istiusmodi actus à Laicis in hac causa exerciti, æque ac ipsum judicium cadit sub eam penam.

2. Resp. secundò: Sed neque causæ illæ spectantes divortium illud compromitti possunt in arbitrium Laicum, aut ab arbitris Laicis decidi, vel transactione definiti. Covar. *4. decret. p. 2. c. 8. §. 12. à num. 6.* cum jus cognoscendi & terminandi has causas sit jus spirituale, adeoque jurisdictionis tantum ecclesiasticæ; non tamen ita, quin à Papa etiam principalis cognitio, & determinatio causarum matrimonialium Judici Laico committi possit.

3. Resp. tertio: Per Judicem ecclesiasticum hic (uti & quò ad omnes aliàs causas matrimoniales) intelligitur Episcopus; *c. accedentibus. de excess. Pralat.* utrum verò has causas quoque cognoscere & tractare possit Vicarius Generalis Episcopi sine speciali ejus commissione, vide apud Barb. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 94.* vide & me in *Vicar. Episc. q. 160.* De cæterò nil vetat, quò minus harum causarum cognitio delegari possit. Covar. *l. c. n. 1.* Vel etiam privilegio, vel consuetudine legitime præscripta competere possit aliis quam Episcopis, ut constat ex *Trid. sess. 24. c. 12.*

4. Resp. quartò: Dum unus conjugum adversus alterum agit ad dissolutionem vinculi conjugalis propter

propter nullitatem matrimonii ex impedimento canonico, non ita solus ordinarius loci, in quo contraxerunt matrimonium, potest hanc quaestionem cognoscere & terminare, quin eo non requisito aut causam delegante, ordinarius originis & domicilii possit se intromittere; dum enim reus habet plures Judices, seu in pluribus locis forum, actor non cogitur deferre causam ad hunc determinatè Judicem, sed liberum est ei convenire eum coram proprio ejus Judice, coram quo maluerit ad faciliorem rei cognitionem & causæ expeditionem, præsertim ubi id fieret sine rei revocatione à domicilio ad Judicem distantem; dum nimirum illi Judices aliunde capaces sunt cognoscere & terminare istiusmodi causas, & causa non est certo Judici specialiter reservata; qualiter causa matrimonialis ex hoc, quòd matrimonium in hac diocesi contractum, nullibi reservatur Ordinario illius diocesis. Sic si debitor seu reus jure communi habet duos Judices, potest cre-

ditor seu actor eum convenire, coram quo ex his maluerit ad prosequendam actionem, licet ea originem ducat ex contractu; *c. dilecti. de foro competens.* & ibi Gl. v. ubi domicilium. Covar. l. 1. var. c. 18. n. 6. & licet reus seu debitor respondere debeat in loco contractus, si ibi inveniatur, poterit tamen etiam, si maluerit, creditor eum convenire in loco domicilii, Abb. in c. si diligenti. de foro competens. Pirh. tit. eod. n. 37. quin &, si reus non inveniatur in loco contractus, sed inde discessit, non potest compelli ad personaliter comparandum ibidem, si sit in vitus. Pirh. l. c. Verum itaque est, quòd quis fortiatior forum ratione contractus, ut super hoc conveniri possit coram Judice loci, ubi factus est contractus, ut habetur c. fin. de foro competens. c. 1. eod. in 6. non autem verum est, quòd ibi conveniri debeat; præsertim si reus ibi non sit, nec etiam compareat, sed in loco originis & domicilii constanter maneat, distante à loco contractus & alterius jurisdictioni subiecto.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

Quest. 309. Donatio inter virum & uxorem quotuplex.

REsp. Duplex; alia quæ sit omnino gratis & ex mera liberalitate, l. 1. ff. de donat. alia quæ sit ob causam aliquam; qualis est donatio propter nuptias facta à marito in compensationem dotis sibi datæ ab uxore, dum is ex causâ hac tantum teneatur dare, quantum ipse ex causâ dotis accepit; *Auth. dos data. c. de donat. propter nupt.* quæque non secus ac dos fieri potest tam post, quam ante matrimonium contractum; & sicuti dos de jure communi, soluto matrimonio, redit ad mulierem, vel ejus hæredes aut patrem dotantem; l. 2. ff. soluto matrim. c. ult. h. t. ita & donatio propter nuptias ad maritum superstitem vel ejus hæredes; l. cum multa. c. de donat. ante nupt. & §. est & illud. Inst. de donat. nisi consuetudo habeat aliud, aut aliter conventum inter virum & uxorem; ut Pirh. h. t. n. 8. ad quas donationes ob causam reduci quoque possunt, quæ fiunt causâ remunerationis ob præstita ab uno conjugum alteri obsequia ordinariè indebita, & ab aliis conjugibus non solita exhiberi; quamvis propriè & in rigore donationes non sint. Arg. l. 1. & 7. ff. de donat.

Quest. 310. An donatio inter conjuges purè liberalis sit valida.

1. **R**Esp. Facta, stante matrimonio, est invalida, idque tam Jure civili, juxta quod expressè habetur l. 1. 2. & 3. ff. h. t. addita etiam l. 1. ratione, dum ibi dicitur: *Moribus apud nos receptum est, ne inter virum & uxorem donationes valerent; hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa inter se facilitate* &c. tum etiam, ut Pirh. h. t. n. 2. ne matrimonia essent venalia, & ne concordia pretio conciliari videatur. Quam etiam Jure Canonico, dum c. fin. h. t. dicitur: *Donatio, constante matrimonio inter conjuges facta, ex qua alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, & penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè vel expressè; vel si*

is, qui donatum accepit, prius debitum naturæ præsolvat &c. juxta quem textum

2. Limitatur responsio primò: Ut valeat talis donatio, si ex ea donans non fiat pauperior, cum locupletatione donatarii. Si enim hic ex inde non fiat locupletior (uti contingit V. G. dum maritus donat uxori servum, ut ab ea manumittatur, ut habetur l. quod autem. §. fin. ff. h. t. item si donetur sepulturæ causâ, velut exinde det elemosynam, vel emat rem familiarem, ut dicitur cit. l. fin. §. 8. l. 7. §. si maritum. l. sed si vir. §. 8. & 10. ff. h. t.) etsi donans exinde fiat pauperior; uti etiam valet donatio, etsi donatarius fiat ditior, modò donans non fiat pauperior, pro ut utrumque habetur l. si sponsus. §. 10. ff. h. t. dum ibi dicitur: *Ubique igitur non diminuit de facultatibus suis, qui donavit, valet: vel etiam, si diminuat, locupletior tamen non fit, qui accipit* &c. Taliter autem donatione sua locupletando alterum non redditur pauperior, qui non de patrimonio suo jam acquisito donat, sed de eo, quod postet acquirere jure illud; l. si sponsus. §. si maritum. ff. h. t. *Neque enim pauperior fit, qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit & dedit.* V. G. si maritus repudiet hæreditatem, ut ea deferatur uxori substituta. Vel si quid relictum seu legatum uxori, ut exinde det aliquid marito, & hic cedat illud uxori, Pirh. h. t. n. 5. cum Alex. in cit. c. fin. h. t. n. 17. & 18. qualiter etiam non censeri uxorem fieri pauperiorem, si quid donet marito ad consequendam dignitatem; cum id ipsum redundet in commodum, nimirum honorem uxoris, juxta l. famina. ff. de Senatorib. alferit Reiffent. h. t. n. 7. citans pro hoc l. nuper. ff. h. t. idem quoque dicens citando l. sint certo. §. interdum. ff. commodati. de marito, donante aliquid uxori, ut comptior & ornator incedat; cum id potius suâ causâ donasse censeatur.

3. Limitatur secundò in sequentibus casibus; dum donationes sunt mutue, quarum una saltem non notabiliter excedit alteram; juxta l. quod autem. §. 2. ff. h. t. cum in hoc casu neuter conjugum fiat